ACTA LITTERARIA.

SCRIPSIT

CHRIST. ADOLPHVS KLOTZIVS.

— *Librum, si malus est, nequeo laudare.*

IVVENAL.



VOLVMINIS V. PARS I.

ALTENBVRGI

EX OFFICINA RICHTERIA.

CIƆ IƆ CC LXVIII.

PRAEFATIO.

Tardius si quis hoc volumen prodiisse miretur, quam hominum opinio ferret, ille, me Actorum litterariorum, quae quotidie in Germania euulgantur, numero et multitudine deterritum fere auocatumque a scribendo fuisse, sciat. Nullum prope oppidum est, quod non Criticos suos habeat ostentetque, nisi doctos et acutos, clamosos tamen et impigros: nulla Academia, quae non schedis quibusdam operam suam accommodet, suoque arbitrio et nutu hominum famam augeri minuiue credat. Inde aliquoties, ex angulis, vbi omnino homines esse vix sciebamus, certe, vbi

non

non recordabamur librum aliquem ingeniosum vnquam scriptum fuisse, voces audiuimus iudicantium, nec sine ridiculo fastu laudem vituperiumque dispensantium. Nec desunt vlli horum censorum laudatores atque amici, (quod enim vnquam fuit tempus, quo stupor et impudentia nullos satellites inueniret?) illorum qui iocis faueant; sententias vnice sequantur, iisdemque cognoscendis, dum tempus non inutiliter fallere sibi videntur, male perdant. Quis credat, illum, cuius nomen ingeniumque in prouerbii consuetudinem venit, toties irrisum ab ingeniosis hominibus, exsibilatum prope a pueris, a bonis autem viris misericordiaque commotis medico commendatum Hamburgensem Ziegram, tamen nondum ab edendis Volusianis chartis abstinuisse? Pergit vero iste, quam artem iam aliquot annos exercuit, histrioniam facere, cumque, qui hominis stupori plaudant, alii desint, inuenit tamen in sacro ordine, qui ab illo laudari cupiant, caputque non sanum atri tabellionis *paterno affectu mulceant.* Quando igitur harum ineptia-

ptiarum finis exspectandus erit? Profecto non prius garrire homo desinet; quam mors illius tabernam pulsauerit monueritque:

Tempus abire tibi,

mi Zigra, eo, vbi Scotus, Occamus, *et cum* obscurorum virorum *caterua*, Philippi, Bauius Maeuiusque *corculum suum exspectant. Immo noua quoque monstra Germania peperit. Exstitere nuper paupercu-li quidam et famelici magistelli, atque* Anticriticorum *nomine sibi imposito, quidquid est vbique virorum doctorum de cathedra sua lignea, tanquam tribunali, citari et ad audiendam sententiam vocari iusserunt. DI! miram rem et iocosam! DI! consessum iudicum lepidissimum! Qui enim sunt illi* Anticritici? *quales heroes* Leibnitium, Wolfium, Ernestium, Riedelium, Semlerum, *aliosque doctos viros prouocare audent? Age vero adspiciamus hanc militiam. Ecce!* Christianus Augustus Wichmannus *aliquis, Lipsiensis magister, qui, cum panem atrum ex hesterno iure vorare amplius nollet, Gallicis libris in Theo-*

tiſcum ſermonem miſere conuertendis vitam tolerauit, agmen ducit et arundine in longa equitat: Gottfried. Ioachim. Wichmannus, *ouo eodem prognatus, paganus popa, ruri colendo, cereuiſiae coquendae, aut gregibus paſcendis aptior, quam libris ſcribendis*, mures ploſtello *triumphali* adiungit, *perque pallium nigrum, perque enormitates textilis et ſubtilis capillamenti iurat, ſe hodie centum animas Plutoni immolaturum eſſe: hos ſequitur longum agmen pallidorum iuuenum, murmurantium ſecum, et myſteria, quibus initiati ſunt, admirantium, immo titubantium prae nimia ſapientia atque, dum ſemper de tertio coelo illius motu itinereque per coelum faciendo cogitant, quod ante pedes eſt, non videntium, nec audientium.*

O rem ridiculam, Cato, et iocoſam,
Dignamque auribus et tuo cachinno!

Hi, hi ſunt illi formidoloſi hoſtes Criticorum, quorum legiones difflant ſpiritu, quaſi ventus folia: quique dum procedunt, dum arma expediunt, dum fruſtulum panis aut numulum a Soſiis exſpectant, clamemus:

memus: Io triumphe! *iterumque clamemus:* Io triumphe! *submissaque voce addamus:* Date stipem, Sosiae, Anticriticis, date stipem!

O lepidum fortunae lusum! A Wichmannulis, *quid ingeniosum sit, quid verum, quid rectum, discere, immo obliuisci debemus,, ne cerebrum quidem istis naturam dedisse? Sed lubenter* Anticritici *nostri se irrideri patiuntur, futurae felicitatis exspectatione beati.* Toto *enim terrarum orbe euerso, omnibusque, qui nunc viuunt, Criticis flammis et saeuissimis poenis apud inferos excruciatis,* mille annos *isti gallinae albae filii, vna cum* Bengelio, Crusio, Wustemanno, Oettingero, *forte etiam* Iacobo Boehmio *et* Kuhlmanno *regnabunt, nullius risu turbandi, nec laedendi amplius ab vllo profanorum, qui nunc coelesti illi sapientiae fidem addicere nolunt, immo interdum pro impietate sua risum tenere nequeunt, hominum. Quare patiamur eos in sinu gaudere, praesentisque temporis molestias futurae potentiae spe solari, nec aegrius feramus,* Pollucem Anticriticum *ad bibliopolas ire, se pa-*

 trem

trem esuritionum profiteri, et pensum flagitare flebili voce : Castorem Anticriticum *modo popelli aures fatigare aut somnifica orationum vi biantem plebem aliquamdiu tenere; modo interiore nota berbae Nicotianae inter rusticos suos se festis diebus largiter beare: reliquos denique* Anticriticos *ad inferos descendere et Beelzebubi consilia maligna aliorumque daemonum artes callidissime speculari.*

Vos hinc interea valete, abite.
Illuc, vnde malum pedem tulistis,
Secli incommoda!

Iniuriam facerem quorundam virorum doctorum eruditioni atque ingenio, si, qui ad Berolinensium *Criticorum collegium pertinent, omnes horum magistellorum similes esse dicerem. Sunt sane in ista societate, certe fuerunt nonnulli, nec ingenii acumine destituti, nec litteris leuiter tincti. Immo fateor, non inutilem eos operam litteris nostris praestitisse, quorundam hominum leuitate compressa scribendique de quolibet re quodlibet ardore paullum cohibito. Sed nimis illi iracunde et*

acerbe

acerbe in hac re versati sunt, nec Criticorum, sed dominorum personam induerunt. Cui non displiceat illa ingeniorum tyrannis, cuius iugum nimis diu patienterque Germania tulit? cui probetur lucudentum partium studium in laudandis aliis, aliis vituperandis? quis ferat illum vultum summa in litterarum ingeniique mediocritate supercilia tollentium Criticorum; atque, quicquid extra Berolinensem illam scholam viuit, despicientium?

Quis hoc potest videre, quis potest pati? Certe somnolentia quorundam, aliorum timiditate, res eo peruenerat, vt nemo, licet pessime acceptus, licet conuiciis etiam proscissus, respondere ad haec aut omnino biscere auderet, Germania sententias in taberna Nicolaitana a chartaceo Ioue dictas promulgatasque tanquam oracula Iouis Dodonaei reuereretur. O vero illum infelicem, qui sibi aliam mentem esse significaret, qui se in verba Berolinensium Criticorum non iurare voce scriptisque ostenderet! Aliae si causae impedirent, quo minus palam impetum in eum facerent fratres Nicolaitani, certe in schedis diurnis vt con-

vicia effundere liceret, aliquot nummulis facile effecerunt Critici isti satellites. Sed huic quoque imperio suas metas, tempora sua Fortuna posuit, iamiamque Germania se diutius, quam deceret, coecutiisse intelligere incipit.

Nihil dicam de aliis libellis, qui Criticorum iudicia de nouis libris continent, quorumque numerus in dies augetur. Sat enim multa iam dixi, eademque me sat diserte dixisse, proximum, ni fallor, Bibliothecae Berolinensis *volumen lectores meos docebit. Quem vero non terreat ille exercitus Criticus, tota e Germania conscriptus armisque instructus validissimis? Non enim iis fidem habere possum, qui e iuuenibus, typographicis speciminibus emendandis praefectis, e caussidicis raucis, e concionatoribus obscuris, e decrepitis magistris illam* legionem fulminatricem *constare, mihi aliisque persuadere conantur. Interim tamen alia quoque accidunt interdum, quae vix vnquam sperauerit quisquam. Quis credidisset, illos omnis eruditionis arbitros e Virgilio, puerorum in vsum Theotiscis notulis instructo, sa-*

pere

pere atque diuitiarum suarum oblitos pauperculo Grammatico aliquid surripere potuisse? Sed hoc tantum magno, immo maximo, Lessingio *licet.*

Iam vero in tanta Criticorum Actorumque litterariorum multitudine haesi ego aliquamdiu, nec, quid agerem, satis constituere potui. Nolui enim mea quoque culpa istorum librorum numerum augeri; immo eo facilius nostris sententiis carere posse iudicaui viros doctos, quo minus valeremus iis virtutibus, quas multi nunc vnice in Criticis spectant, quarumque prima est: se ipsum ab omni erroris suspicione et crimine immunem existimare. Nec, vt verum fatear, admodum iuuari credo rem litterarum nimia Actorum litterariorum copia. Ea enim alii ab ipsis libris legendis retinentur, et inani eruditionis specie contenti, immo opinionum varietate decepti, seuera lege proficere nolunt: alii, inprimis quorum in animis nondum iuuenilis ardor deferbuit, rixis se immiscent, tempusque, quod eruditionis finibus proferendis impendere debebant, male consumunt: forte etiam isto quasi Criticorum exercitu, semper in insidiis

exeu-

excubante praedamque exspectante, territi quidam ingeniosi atque docti, sed subtimidi et placidi animi homines, a scribendo omnino abstinent. Sunt sane perutiles isti Criticorum libri: sed, si totidem fere Criticos, quot auctores nanciscimur, eorum copia laborare puto rem litterarum, doctrinaeque incrementa impediri.

Interim me a viris doctis, siue illi amori erga me suo hoc darent, siue veritati, adduci passus sum, vt ad Acta litteraria, de quibus diu non cogitaueram, scribenda redirem, nouumque Volumen ederem, in quo quia eandem, quam in prioribus, rationem tenui, non opus est quidquam addere. Nos certe nunquam obliuiscemur, veritatis, virtutis omnium primae, cultum nunquam a nobis negligendum esse, nec ad haec Acta scribenda accedemus, nisi litauerimus antea illi, precesque pias conceperimus. Quare, o Veritas,

Si qua Dea es, tua me in sacraria
condo!

Scr. Halae, Kal. Octobr. 1768.

CON-

CONSPECTVS LIBRORVM
QVORVM CENSVRAE
VOLVMINIS V. PARTE I.
CONTINENTVR.

I. Re-

I.

Recueil d'Antiquités Egyptiennes, Etrusques, Grecques, Romaines et Gauloises. Supplement, *Tome septieme.*

Parisiis, ap. N. M. Tilliard, 1767. pagg. 336. tab. aere express. 97. 4.

Vltimam praestantissimi immortalisque suo auctori gloriae futuri operis partem indicamus, quam ipse quidem *Caylusius* scripsit atque perfecit, morte vero extinctus aliis edendam reliquit. Cuius voluminis addendi reliquis consilium ideo ceperat vir summus, quia monimentorum, quorum dominus erat liberalissimus numerum in dies augeri, nec pauca sibi offerri videbat, quae accuratius cognouisse interesse putabat ingeniosorum hominum.

Quam vero in monumentis antiquis vulgandis rationem secutus sit *Caylusius*, norunt omnes. Neque enim ille ex Graecae Romanaeque antiquitatis reliquiis aliquam lucem vtriusque populi scriptoribus accendere, aut, quod multi alii fecerunt, ritus, mores, historiam illustrare voluit, quanquam neque hoc plane neglexit, sed artificum potius ingenia et manus spectauit. Hinc non solum historiam artium, quae operum exquisita pulchritudine censentur, ita studuit tradere, vt diuersorum populorum rationem, immo, quam temporis successio eodem in populo protulit, rationis varietatem explicaret, incrementa artium et progressus ostenderet, sed etiam ingenium et consilium artificis demonstrauit, omnemque hanc scientiam ad vsum et perfectionem artium contulit, ad informandam in animis nostrorum hominum pulchritudinis speciem illiusque sensum cum acuendum, tum alendum. Id quod non contortulis quibusdam ac minutis dialecticorum conclusiunculis efficere conatus est vir eruditus, vt nuper in Germania quidam homines hac via sibi laudem gloriamque ab imperitis colligere ausi sunt, sed moni-

men-

mentorum vbique et artis regularum eximiam scientiam prae se tulit, nec minorem oculorum quam iudicii, frequentissimo operum pulcherrimorum aspectu formati subactique, elegantiam luculentissimis documentis demonstrauit.

Nullum veterum monimentorum genus suo Museo excludendum esse censuit *Caylusius*. Inde statuas collegit, signa, marmora, gemmas, vasa, cum vitrea, tum fictilia, et multiplicem supellectilem. Horum omnium speciem, lineari pictura in aeneis laminis expressam, lectores in hoc volumine cognoscent. Plurimorum enim monimentorum illis copiam fecit.

Nos, cum omnia referri nequeant, ea potissimum monimenta commemorabimus, quae certas ob causas prae aliis commemoratione digna videantur.

Initium operum recensendorum faciemus ab Aegyptiis monimentis, quae tabulas XII. occupant. Primum locum damus *tabulae Isiacae*, (*tab. XII.*) accurate et eleganter a *Caylusio* exhibitae, eruditeque illustratae. Ipse quidem viros doctos, qui illius interpretationem susceperint, multa fatetur ingeniose, multa erudite dixisse: argumentum vero

 ipsum

ipsum eos assecutos esse, aut reliquas, quae occurrunt, difficultates sustulisse, negat. Tabulam putat esse posteriori tempore factam in Aegypto, et sub finem reipublicae Romanae in Italiam perlatam eo tempore, quo Romani Aegyptiorum caeremonias sacrosque ritus adoptauerint. Nil procul dubio in hoc monimento effingendo spectatum fuisse aliud, quam ut totus, qualis apud Aegyptios esset, deorum cultus proponeretur, conseruaretur, posteritatique quam accuratissime traderetur, neque vlla illius pars, hoc modo consignata, aut interiret, aut mutaretur. Ipse vero *Caylusius*, breuiter huius monimenti historia recensita, artificis oculis tabulam lustrat, singulasque partes atque figuras, quanta fieri potest, maxima diligentia describit. Qua argumenti commemoratione non parum illum credimus iuuisse eorum studia, qui maxime memorabilis et illustris monimenti interpretationem post tot virorum doctorum conatus denuo aggressuri sint.

Nec praetereundum est marmoreum anaglyphum, (*tab. I.*) quia primam artium in Aegypto infantiam ostendit. Illud *Caylusius* putat positum esse gra-

tiarum,

narum, ob periculum maris euitatum, agendarum causa.

Antiquitatis vero studiosos forte magis morabitur signum vitreum virginis nudae, cuius dextra manus coxendici incumbit, sinistrae vero digitus vnus os comprimit. (*tab. IV. n. 5. 6.*) *Caylusius* censet *Angeronam* hic exhiberi; cuius plures iam alio tempore (*) dedit effigies, immo hinc addit huius deae Aegyptiacam originem apparere.

[Qua quidem in re non assentientem habebit Auctor sibi eruditissimum *Saxium*; qui Angeronam Romam non aliunde importatam, sed velut Deam indigetem in eodem solo natam atque ritu mere Romano consecratam fuisse arbitratur (**).]

Eandem ob caussam indicatiras figuram marmoream, quam censet Noster sacerdotem foeminam Aegyptiorum: (*tab. XI.*) Licet enim Herodotus dicat, foeminas a sacris faciundis remotas fuisse, ipse tamen, hoc aliisque monimentis admonitus, hanc narrationem ita temperat, vt mulieres, non virgines, sacris templisque exclusas fuisse arbitretur:

(*) v. *Recueil* T. II. t. 79. et t. 49. T. III.

(**) *De dea Angerona* p. 27.

tur. Nam primum magna est horum signorum similitudo cum sacerdotibus Osiridis aliorumque Aegypti numinum: deinde ii populi, qui deorum cultum ex Aegypto repetierunt, vt Etrusci, semper foeminis locum in templis sacrorumque procurationem concesserunt: denique non possunt, vt quidam opinantur, haec signa Isidi tribui, cum ob totius formae habitum, tum quia desunt, quae numen indicant, signa.

Haec de monimentis Aegyptiorum: quorum gloriae etiam in hoc volumine studet Auctor. Nam in breui praefatione magnifice de eorum ingeniis sentit immensosque inprimis conatus miratur.

Etruscis tot tabulae, quot Aegyptiis, datae sunt. Vbique vero Etruscos monet artium cum praecepta, tum exempla accepisse ex Aegypto: ante commercia cum Aegyptiis instituta admodum exiguam artium scientiam imperfectamque Etruscos habuisse; tum illos tanquam magistros suos considerasse, nec tamen exempla seruili frigidaque imitatione expressisse.

Qui artium historiae studiosi sunt, non illubenter conspicient, prima Etruscorum

scortum tentamina, signumque Herculis forte ante Aegyptiorum opera cognita, factum. (*tab. XIII.*) Iidem primae antiquitatis ingenium in vaccae et suis signis contemplabuntur: (*tab. XV.*) maiorem vero ob artem gemmam scalptam mirabuntur, (*tab. XII. n. 5.*) non indignam Graeci artificis manu.

Habet hoc caput plures gemmas, non tam ob artis praestantiam elegantiamque suspiciendas, quam ob antiquitate commendabiles, aut propter argumentum memorabiles. Huc pertinet inprimis gemma illa, (*tab. XX. n. 2.*) in qua Hercules Omphales in conspectu filum ducit. [quod argumentum vllo in veteri monimento apparere quidam negarunt. Nec memini vllum aliud hanc fabulam exhibere, (nam quod Winkelmannus in gemma regis Franciae, a Baudelotio vulgata, in qua alii Ptolemaeum Auletem agnouere (*), Herculem muliebri habitu indutum inuenit, ingenio nimis indulsit (**)) nisi quod

 Fico-

(*) v. *Lippert. Dactyl.* Mill. II. n. 245.

(**) *Trattato preliminare dell' Arte del Degno degli antichi popolo,* p. 58. praefix. Monimentis antiquis.

Ficoronius narrat (*), in silua Pamphilia ad portum Antiatem inuentam fuisse effigiem Herculis, muliebri habitu cum lana et colu, filum inde pollice deducentis, opere tessellato expressam.] Oculos quoque allexit gemma antiqua, in qua Peleus capillos lauat, guttis non obscure decidentibus, cuius exemplum et optimus Lippertus dedit (**) et speciem bis exhibuit Winkelmannus (***), qui antiquissimae Graecorum artis specimen illam dare existimat, licet Etruscorum artificum ingenium ea prodat. Vtriusque enim populi artifices antiquissimis temporibus linearum eandem in operibus suis rationem secutos fuisse.

Transeamus ad monimenta felicioris Graeciae, quae inde a *tab. XXV.* sequuntur. Inter quae apparent non pauca ex Herculanensibus ruinis protracta in lucem: vt lucernae, vasa, bilanx, eiusmodi alia. Adsunt etiam nonnulla, quae elegantia sua et venustate oculos alliciunt et retinent. Amabilem simplici-

(*) v. Fr. Ficoroni *Gemm. Antiqu.* litterat. p. 140.

(**) v. *Dactylioth.* Mill. I. n. 1000.)

(***) v. *Geschichte der Kunst*, p. 140. et *Monimenti antichi inediti* n. 125.

plicitatem praefert in gemma Apollinis imago, (*tab. XXIIII. n. 3.*) quam ad statuae antiquae imitationem effictam fuisse coniicit *Caylusius*. Nam, id quod nos quoque luculentis exemplis alibi ostendimus, saepissime clara statuariorum opera in gemmis annularibus reddita et expressa fuerunt. Alia gemma, (*tab. XXVII. n. 2.*) in qua athleta coronatus palmamque manu gestans conspicitur, nomen praefert ΦΩΚΑΣ, ideoque artificem ignotum antea nobis narrat. Non exiguam laudem meretur, quisquis in alia gemma (*tab. XXVII. n. 1.*) Apollinem fere nudum cum lyra adstantemque puerum exhibuerit: quamquam gemmam aliter interpretor, quam a *Caylusio* factum fuisse video. Nam quod ille putat, Genium offerre Apollini instrumentum, quo lyra percutiatur, plectrum appellant, id mihi secus videtur. Aliam si quis gemmam, in qua Amor lyram postulat (*), cum hac contulerit, ille potius existimabit, Amorem percutiendae lyrae desiderio flagrantem, eam petere. Nam et Apollinis, non accipientis aliquid, sed puerum

 potius

(*) v. Mariette *Traité des pierres gravées.* T. II. tab. XIV.

potius repellentis species, et Amotis in digitos erecti habitus, id indicant.]

Praeterimus alia. Paucis enim attingemus duo anaglypha, cum ob linearum, tum ob sculpturae elegantiam magna laude digna. Alterum quatuor anni partes habet, aestatemque inprimis belle effictam, (tab. XXXVIII. n. 1.) alterius argumentum curiosius est indagandum. (tab. XXXVIII. n. 2.) Nisi omnia fallunt, foemina quaedam vaticinia ab alia petit auditque.

Graecis monimentis addita sunt Romana: (a tab. XXXIX. vsque ad LXVI.) quorum nonnulla nec iis displicebunt, qui Graecae elegantiae adsueti Romanorum operum duritiem accusant.

Primus locus datus est quatuor picturis, a Petro Sancte Bartolo delineatis: inter quas eminet Hebe, seminuda et volitanti per aërem similis. (tab. XL.) [Nempe, id quod hoc loco monere iuuat, quia ad paucissimos operis praestantissimi notitia peruenit; nactus erat Noster antiquarum picturarum exempla, ab eodem Bartolo Romae ex ipsis archetypis ita expressa, vt colores quoque cuiusque tabulae redderet. Has ille tabulas primum scite laminis aeneis radio

inscri-

inscribendas curauit; mox incussu laminarum exempla multiplicata coloribus tanta arte distinxit, vt viuere omnia, omnia florere viderentur; atque hoc modo temporis violentia extinctas picturas restituit. Sed triginta tantum operis pulcherrimi exempla *Caylusius* prodire passus est, nec spes est, vnquam plura proditura esse.] Diximus habere hanc partem monimenta quaedam Romana, artificis ob manum ingeniumque memorabilia. Huc referenda est ara, ab Adamo, clari nuper nominis sculptore, refecta: in qua ornamentorum venustas placet. *(tab. XLIII.)* Haec ara occasionem dedit elegantissimae disputationi, qua antiqui et recentioris artificis ingenium comparatur. Aliud aeneum signum viri, infortunio aliquo oppressi, (*tab. XLV. n. 4.*) non solum ob probam totius corporis compositionem laudem meretur, sed, id quod rarius est, sensum quoque animi non obscure indicat. Non minore laude digna sunt duo alia signa, alterum Apollinis a victoria redeuntis, *(tab. XLVI.)* alterum philosophi: *(tab. XLVII. n. 3.)* sed omnes reliquas figuras facile vincit paruulus Mercurius aeneus: *(tab. XLVI. n. 1.)* cuius

signo

signo negat Auctor pulchrius se vidisse a Romano artifice factum. Licet enim non in illo obseruet eas virtutes, quae admirandae graphices genio grandi conveniant, vndique tamen hoc signum elegantiam spirare fatetur, manusque doctam vetustatem videri inprimis esse formosissimum nec incandidius os potuisse fingi. Cum vero inter omnia, quae viderit, Romana signa nil huic comperuerit par, nil simile esse existimet, hoc signum a Graeco artifice compositum fuisse, siue vt hic suum animum delectaret; siue vt Romani cuiusdam voluntati satisfaceret. Sic quoque templum Nemausiense, quod domum quadratam appellant, a Romanis quidem fuisse aedificatum: sed visos esse eosdem peritissimo artifice Graeco. Haec de Mercurii signo. Laudandis ob artificium monumentis addendum est caput grande, aeneum, magnifica specie: *(tab. LXV. n. 1.)* cui hinc quoque pretium accedit, quod in insula Baleari Minore, Minorcam appellant, repertum fuit. Denique lectori indicamus vrnam sepulchralem, e porphyretico marmore ad cenotaphium exornandum a non imperita manu fabricatam, *(tab. LXVI.)*

vbi in nota subiuncta nescio quis monet, *Caylusium* hoc monimentum emisse, vt eo olim suum tumulum ornaret. Ideo illud in hortis suis collocasse, saepe tranquillo oculo adspexisse et ostendisse amicis.

Continet etiam hoc caput monimenta quaedam, ex ruinis Velleiae extracta: (*tab. LIV.* et *LV.*) inter quae eminet cyathus aeneus ob simplicem iucundamque formam.

Ne vero antiquae historiae rituumque studiosos plane obliuiscamur, commemorabimus gemmam, (*tab. LXV. n. 3.*) themati natalicio Augusti Imperatoris consecratam, crotalorumque singulare exemplum. (*tab. LXII. n. 1.*) Sed prae omnibus aliis signum nani, vtraque manu nuces pineas tenentis, commemorandum est. (*tab. XLIX. n. 6.*) Signum enim *Caylusius* hoc esse coniicit *Dei Crepitus*; argumentis, nisi me omnia fallunt, infirmis in hanc sententiam adductus. Nam primum nil video, quod hunc deum ostendat potius, quam quemcunque alium nanum. E Museo Grauierii vulgata est figura puerili, qui nitentis speciem habet (*): sed neque, cur hunc

puerum

(*) v. Montfaucon *Antiqu. Expl.* T. II. tab. 136. et add. *Tarin dissert. sur le*

puerum deum Crepitum appellauerint; caussam video. Vbi enim edocemur, deum exhiberi, non simplicem pueri speciem offerri? Equidem totam hanc de deo Crepitu narrationem effictam esse puto a Patribus ecclesiae, (nam horum testimonio fabula haec nititur) quos alia quoque ad inuidiam populis non christianis conflandam mentitos esse, immo in his mendaciis pietatis et gloriae aliquam partem posuisse, constat. Atque ne quis me iniuriam facere credat istis doctoribus, similem vt hic de *Venere Cloacina* fabulam repetam, necesse est. Nonne enim Lactantius (*) atque Tertullianus (**) hanc deam latrinis praefectam, eiusque simulacrum a Tatio rege in cloaca maxima repertum fuisse scribunt? Cui narrationi non modo temporum ratio aduersatur, (nam Tarquinius demum Priscus cloacas exstruxit) sed etiam luculenter Plinii (***) locus, vbi, origine nominis a verbo *cluere*

le Dieu Pet, divinisé par les Egyptiens. dans *la Continuation des Memoir. de litterature et de l'histoire* T. I. p. 48.

(*) v. Lactant. I. 20.

(**) de Pallio IV.

(***) Hist. Natur. XV. c. 36.

cluere derivato, Venerem Cloacinam expiatricem et quasi purgatricem esse dicit. Quare Deum Crepitum cum amica sua, Venere Cloacina, eiiciamus veritatis historiaeque regno, neque, quae in cerebello quorundam nata fuerunt, numina ad deos, quos Romae publica religio instituit coluitque, referamus. Romanos quis nescit frequenter monstrosas hominum species in variis monimentis exhibuisse? Quidni igitur dicamus, hunc quoque nanum ad ea, quibus visendis delectabantur, monstra pertinere?

Ad Galliam spectant, quae inde a *tab. LXVII.* sequuntur, monimenta omnia.

Ex iis, quae in Gallia reperta, quaedam non indigna sunt, quorum a nobis quoque mentio fiat. Huc pertinet signum argenteum, plenum vario cultu et allegoricum ob speciem memorabile (*tab. LXXI.*) Ad signa Panthea illud referendum est. Ceres non inscite vestita dextra tenet duplex cornu copiae, unde duo capita eminent, sinistra pateram, sacrificanti similis: adstat enim ante pedes ara accensa. Alata eadem est: alis mediis capita Castoris et Pol-

locis additae sunt, fluminis lineae incurvabili, in qua septem planetae, humana sub specie, apparent. Forte haec omnia ad terrae fertilitatem respiciunt. In anaglypho octo Romani milites exstant (tab. LXXIX. n. 1.) scutis armati, qui Caylusio occasionem dederunt de sauta pedestri disputandi. Titulus antiquus ad veterem Claudii Livii historiam illustrandam facit, nec pauca memorabilia continet. (tab. LXXIX. 2.) Pulchrum est signum pueri nudi, quem Genium comoediae arbitratur Noster; [ego potius puto esse Amorem, nisi malis Deum Jocorum, in gemmis antiquis eandem effigiem contemplamur (*),] personam senilem ante sine risu capite suo demonstrantem. — Lucernae quoque sunt in Gallia plura deorum necnon signa, (tab. LXXIX. sqq.) Romani operis signa inprimis duo, Minervae alterum et alterum Amoris, sua laude non sunt defraudanda: quibus elegantissimam pueruli figuram addidimus (tab. LXXXII. n. 4.) Reliqua silentio praeterimus. Nam nec verba sufficiunt semper ad veram monimentorum [illegible] mento-

[illegible]

(*) *Dactylioth. Lippert.* Mill. I. n. 834.

mentorum speciem in animo lectoris informandam, et pleraque ad Galliam pertinent, cuius antiquae historiae lucem affundere *Caylusius* studuit, locorum etiam quorundam veteri situ delineato.

Ipsi operi praefixum est elogium *Caylusii*, a V. Cl. *le Beau* conscriptum, et in consessu Academiae Parisinae, cuius ille, dum viueret, summum fuit decus, recitatum. Addita quoque est viri praestantissimi imago, laminae inscripta radio, quam contemplanti mihi cogitantique de *Caylusii* ingenio, doctrina, scriptis, immo animo et moribus, nunc quoque lacrimae oboriuntur. Quomodo enim non prosequar lacrimis memoriam viri illius, qui cum plurimis victurisque ad omnem posteritatem beneficiis artes litterasque elegantes adfecit, tum ea erga me quoque animo se esse ostendit, quem aduersus non indignos fauore nostro habere solemus, honorificentissimis illius animi pignoribus in manibus nostris relictis: cuiusque mors et publicam, litterarum, quibus hoc casu maxima plaga illata fuit, humanique, quam late litteris cultum est, generis nomine, et priuatam, lugendi deplorandique obitum magni litterarum, beneuoli mei

 nominis,

nominis, patroni mihi caussam dedit? Recrudescit ille dolor, vehementerque augetur tristissimo ante paucos dies ad nos nuntio de *Winkelmanni*, heu non amplius nostri, interitu allato. Heu! pater, et Germani nominis sub Italo coelo vindex! Vt spes nostras fati crudelitas destituit! vt laetitiam, quam animo praeceperimus, fefellit! Ergone tuus in Germaniam aduentus ideo tanta nobis commoda, tot gaudia pollicebatur, vt tanto ampliorem paullo post plorandi materiem nancisceremur? vt mox illam ingenii magnitudinem, illam iudicii subtilitatem, illam pectoris ad recipiendos lenes pulchritudinis et deformitatis, honestatis et turpitudinis sensus aptissimam indolem, extinctam esse audiremus? — Sed frustra querelas, licet his ipsis aliqua dulcedo et ad animum consolandum doloremque leniendum vis quaedam insit, effundimus. Hauete, o beatissimae animae, vita, quae, si modo adfectum nostrum coelestis prouidentia audiret, si mortalis pateretur conditio, vltra consueta spatia extendenda fuisset, summa cum laude peracta. Nos vestrorum nominum memoriam, dum huius vitae qualemcunque vsum nobis concesserit

ſerit deus, ſemper charam habebimus, iisque, quae in nos, in litteras artesque, in humanum genus contuliſtis, bonis grata mente ita fruemur, vt eorum quoque fructus nobis conſtet, poſtquam ipſi, o mei, inter nos verſari deſiiſtis.

II.

Nouveau Recueil hiſtorique d' Antiquités Grecques & Romaines, en forme de Dictionnaire; pour faciliter l' intelligence des Auteurs Grecs et Latins: par M. *Furgault*, Profeſſeur de Belles-Lettres au Collége de Mazarin.

Pariſiis, ap. Nyon et Aumont. 1768. pagg. 690. 8.

Vt piget ab aeterno nominis *Caylusiani* monimento ad iſtum, ieiuno ſtudio ineptaque opera compilatum, libellum tranſire! Abſterrere poterat certe auctorem ab eiusmodi conſilio memoria virorum doctiſſimorum, qui, et noſtra, et potiſſimum patrum memoria, in Gallia de antiquitatis ſcientia bene meruerunt.

runt. Sed o eos ſtupidi inuenuſtique ingenii homines! Quid enim boni illi viri, Budaei, Briſſonii, Cuiacii, Caſauboni, alii, agebant? quomodo lucem affundere conabantur veterum rebus, ritibus, moribus? Illi verò antiquae hiſtoriae fontes non leuiter delibare, ſed haurire penitus ſolebant: inde ſuam doctrinam ducere; inde ſumere, quibus opus haberent, quae aliis impertire vellent: inde ad veterum ſcriptorum diuinorum humanorumque intelligentiam plurima transferre: vbique vero immenſas doctrinae copias ad ſui nominis gloriam lectorumque vſum ita explicare et oſtendere, vt in ſummis diuitiis, in maxima liberalitate profuſio tamen abeſſet, omnibusque in locis veſtigia eruditionis accuratae et vtiliſſimae apparerent. Nondum enim eo tempore diuina illa ars inuenta fuit, qua factum eſt, vt compendiorum aliquot in anguſtias omni doctrina redacta, homines in Gallia gloriari poſſent, omnia ſe ſua ſecum portare. Noſtris temporibus ea felicitas reſeruata fuit, vt inſignem illam *Dictionariorum* copiam viderent, quibus non modo omnes liberales artes Gallia complexa eſt, ſed quibus etiam rei coquinariae

culina-

culinariaeque mysteria commisit atque mandauit. Et sunt, qui litteras in Gallia florere negent maiorumque aetatem feliciorem praedicent! Quasi non illi, quod nos aliud agendo atque secure in vtramuis aurem dormiendo assequi possumus, multis vigiliis diuturnoque studio sibi comparare debuissent. Neque fortasse tantas laudes boni viri retulerunt, quantas in censura, libro huic affixo, *Louvellius* nescio quis tribuit *Furgaltio* nescio cui: vtriusque nominis immortalitate indissolubili hoc vinculo coniuncta: Sic itur ad astra! Sic sua cuique laus rependitur! Nunquam enim tam male agit fortuna cum miseris librorum scriptoribus, quin contemti etiam et irrisi vbique praecones tamen aliquot et laudatores inueniant.

Iniuriam suae humanitati a nobis factam fuisse clamaret auctor, si illum quidquam aliud in hoc opere concinnando spectasse diceremus, quam vt inertiae pigritiaeque lectorum inseruiret. Hinc primum non omnem antiquitatis doctrinam exhausit, sed attigit tantum quaedam capita. Quae nemo nescit, ea multis verbis exposuit: de difficilioribus tantum pauca protulit. Quare

eum iuris forique Romani ſcientia ardua habeatur, licet neceſſaria ad veteres auctores intelligendos, eam totam fere neglexit. Quod ſi quis plenius cognoſcere voluerit, ille euoluet ea, quae de *legibus*, (p. 353.) de *actionibus* et *adoptationibus*, (p. 8.) de *matrimoniis* (p. 384.) aliisque rebus, quarum ex antiquo iure repetenda eſt explicatio, dicta ſunt. Vulgaribus in libellis omnibus eadem legi poſſunt. Eandem credo ob cauſam, et ne oculos delicatos offenderet, abſtinuit a laudandis ſcriptorum locis, quorum auctoritate tota narrationis fides nititur. Aut enim, quem ſecutus ſit auctorem, plane ſilet, aut hunc illumue ſcriptorem hunc narraſſe, vno verbo narrat. Immo in praefatione nec iucundum fore profitetur nec vtilem auctorum indicem: maxime ſe vſum eſſe Gronouii Theſauro, Montfauconio, Roſino, Pariſinaeque Academiae Actis, id eſt, vt quidam interpretabuntur, ſe e lutulentis ſaepe riuulis omnia ſua hauſiſſe ſecureque aliorum ſcrinia compilaſſe. Interim hoc modo iuuentuti Gallicae, quae eruditionis accuratae diligentiaeque in citandis auctoribus luculentae laudem nobis Germanis non

inuita

inuita relinquit, iucundum et amabilem suum librum reddidit. Eidem vt placeret, titulos quoque, capitum argumenta indicantes, non Graece et Latine, sed Gallice expressit, licet quisque censeat, res eo nomine appellandas fuisse, quo eos Graeci et Romani appellauerunt. Sed praeuidit procul dubio, lecturos hunc librum vix Latinas rerum appellationes cognitas habituros esse. Hac pro insigni humanitate hanc, credo, isti gratiam auctori referent, vt multos, quos commisit, errores ipsi condonent, nec accuratius omnia capita duriusque examinent. Nos vero reliqui, tanto beneficio quos sibi Auctor nondum obstrinxit, paullo aliter agemus. Tribus erroribus illud de *Iureconsultis Romanis* caput deformatum esse animaduertimus. p. 329. Primum enim Papirius non omnes leges regias (*), sed eas tantum collegit, quibus de iure sacro actum fuit: vt dudum viri docti e Dionysio ostenderunt. Porro lege tribunica reges exacti fuerunt, quorum leges deinde in desuetudinem abierunt: non vero eae-

 dem

(*) Le premier Iurisconsulte fut Sextus Papirius, qui fit une Collection de toutes les Loix royales.

dem lege Tribunicia abrogatae fuerunt (*). Tum post ius Flauianum emulgatum Patres nouas quasdam formulas composuerunt: non vero, vt falso auctor putat, formulas, sigilis aut siglis perscriptas, inuenerunt (**). Denique quomodo auctor iis, quae Cicero, vt causae seruiret, in oratione pro Murena dixit, verbis Iurisconsultorum illius aetatis imaginem describere ausus est! —
p. 11. Non melius sunt alia elaborata capita de
p. 13. manumissione seruorum per censum et
p. 15. 17. vindictam: de sociis Latinis: de lega-
p. 19. 49. tis: de Amphitheatris: de anno Roma-
353. no: de comitiis: de legibus. Praeterimus alia: nam quid iuuat peccata ex eiusmodi libro excerpere, quem omni data opera non vtiliorem reddere licet? Totius enim instituti ratio omnium reprehensiones incurrit.

Si quis vero hoc libro suam bibliothecam augere cupiat (nam quis liber scriptus in Gallia tam inepte est, quin

emto-

(*) Apres l'expulsion des Rois les Loix Royales ayant été abrogées par la Loi Tribunitienne.

(**) Ils composérent d'autres formules par notes & par abréviations, dont eux seules avoient la connoissance.

emtorem in Germania inueniat?) is non commodiorem illi locum quam prope Pitisci, quod nuper in Gallia prodiit, Lexicon (*) dabit. Vtrumque enim opus eandem antiquitatis scientiam ostendit, eandem litteris vtilitatem affert, eandemque de eruditione Gallica opinionem in animis omnium excitabit, qui recte de vero litterarum studio iudicare didicerunt. Nempe eadem Gallia nunc agit, laudat, commendat, quae olim in Germanis irrisit!

(*) Titulus libri est: *Dictionnaire des antiquités Romaines, ou Explication abregé de ceremonies, des coutumes & des antiquités sacrées & profanes publiques & particulieres, civiles et militaires, communes aux Grecs et aux Romains. Ouvrage traduit & abregée du Grand dictionnaire de Samuel Pitiscus & enrichi de remarques curieuses & interessantes.* Paris. 1766.

III.

Franc. Iosephi Desbillons, Soc. Iesu, Fabulae Aesopiae, curis posterioribus, omnes fere emendatae: accesserunt plus quam CLXX nouae; tum etiam obseruationes, Grammaticae praesertim, complures, et index copiosus: nec desunt expressae ex aere inciso hominum ac pecudum figurae elegantes. Vol. I. et II.

Mankemii, typis Academicis, 1768. pagg. 615. 8.

Me, inquit amoenissimi ingenii purissimique sermonis poeta, *Desbillonsius*:

p. 33.

Me fabularum suauis indoles capit
Capit venusta munditie latinitas
Simplex, et arti praenitens facilis color
Laboriosae. Ergo meas omnes mihi
Fere propellunt mentis aegritudines,
Deleniuntue versibus lepidis suis,
Monitisque doctis Phaedrus ac Terentius:
Quibus poetam vix alium felicius
Vtile miscere dulci existimauerim.
Ego porro eorum lene scribendi genus
Adhibere, quantum licuit, adnisus fui
His concinnandis fabulis.

Neque

Neque profecto frustra adnisus fuit. Vix enim hoc poeta recentiorum quisquam feliciore imitatione veterum ingenium scribendique genus expressit. Quicunque Phaedri fabulas legerit, eundem colorem, siue articulos spectet singulos, siue totum corpus, in nostris versibus obseruabit. Paucis depinximus Musae Desbillonsianae ingenium habitumque, si illam *simplicem munditiis* esse, et omnibus placere dicimus, qui naturalem et incomtam pulchritudinem calamistris et vnguentis praeferant. Sunt versus nostri poetae subtili quadam et pressa oratione limati: sunt ornamentis modicis verborum sententiarumque distincti: florentes tamen et concinni: vno quasi tenore fluunt: facilitatem atque aequalitatem praeferunt: totum scribendi genus lene, iucundum, simile amni lucido et virentibus vtrinque syluis inumbrato. Nec potuit profecto alio sermone delectari, qui se orationis simplicitatem omnibus aliis ornamentis praeferre fatetur. Huc enim pertinet elegantissimus libri quarti prologus. p. 97.

Ab illo vetere, simplici, mundo stilo
Iam tum recessit paululum Latinitas,
Vbi Romana pubes semel abhorruit

Ab scriptitandis versibus senariis,
Quales poetae veteres omnes comici
Fundere solebant. Immo fere ceteri
Veteres poetae, si qua praesertim vafrae
Lubido Musae scriptionem ludicram
Menippeamque concinnare iusserat,
In metro amabant liberum hunc morem
sequi,
Suauem profecto, nec vocabulis minus
Quam rebus ipsis aptandis idoneum.
Romanorum ille Varro, qui doctissimus
Ante, et post fata dictus est, huiusmodi
Senariorum millia multa scripserat;
Seu defricandis moribus operam daret,
Vrbemque lepidis recrearet lusibus,
Seu fabulosas callide contexeret
Narrationes, monitis perspergeret
Communem vitae ad vsum pertinenti-
bus (*).

Olim haec fuere: deinde scribendi genus
Tam facile tamque delicatum respuit
Illapsa sensim argutiarum cupiditas
Demumque turbo Cordubensis obruit.
Iamque hae regnare pestes late coeperant,
Suas fabellas Phaedrus cum primum edidit:
Quae forte caussa est, cur hodie nullo fere
Munitus exstet veterum testimonio
Neque hunc sibi esse cognitum Seneca indicet.
Meo quidem iudicio si Phaedri stilus
Si ingenium et ista aequabilis festiuitas
Aliquando fuerint Romanis contemtui,
Bonarum apud eos artium scientiam
Tunc esse paullum adulteratam oportuit.
Illius

(*) Ipsius Varronis sunt verba.

Illius ergo semita qua monstrat viam,
Cupidus sequendi, passibus haud aequis licet,
Pergam innocentes expolire fabulas.

Quae verborum lenitas! quae horum versuum suauitas! Quicunque haec legimus, facile eodem modo nos scribere posse existimamus: periculo vero facto, nil hac sermonis dulcissima simplicitate difficilius esse sentimus. Equidem lectione Prologorum, quos cuique libro, hac quoque in re Phaedrum suum imitatus, praefixit, vix satiari potui. Nam iterum iterumque lecti, nouitatis gratia minime amissa, animo meo placebant. Quare nec piget libri quinti Prologum cum lectoribus meis communicare. Verissime enim vir doctus de contemtu Latinae linguae in Gallia queritur. Sed quid proficiet suis querelis, cum vix centesimus eorum, quos Gallia eruditos appellat, earum sensum assequi possit, quia Latino sermone prolata sunt? Interim vtile est, Germaniam quoque hos versus audire; vtilius, eandem, de spretis a Gallis Graecis Latinisque cogitantem, sibi ab huius, siue elegantiae, siue vrbanitatis, seu quocunque nomine appellare malis Latinae linguae contemtum

temtum, imitatione cauere. Sed audiamus poetam noſtrum.

Hos annos ante ſeptuaginta libris,
Stilo Latino rite compoſitis, ſuus
Honos erat adhuc ſuaque laus in Gallia.
Nunc tale vix eſt qui ſuis opus velit
Subiicere praelis typographus: vel ſi audeat
Aliquis, periclum eſt, emtor ne ſuus libro
Suusque lector deſit. Tanto obnoxiam
Latinitatem fecit deſpicatui
Indocta morum facta commutatio!
Etenim profecto hanc imperitis moribus
Obiicio culpam, quod virum Gallum, ingeni
Cui vis et apta diſſerendi copia
Conceſſa fuerit, nunc plerique vix putent
Hominem eſſe ſanum, ſi latine ſcripſerit;
Saltem inficeto pravoque eius indolem
Fuiſſe ſtudio corruptam diiudicent.
Atqui latinum quemque ſcriptorem optimum
Vetuſtum aſſidua recte verſari manu
Pars noſtrorum hominum ſanior nondum negat.
Ergo et tentare, an illa, quae toties legas,
Imitando demum aliquatenus valeas tuis
Aequare ſcriptis lingua eadem diſſerens,
Conatus eſt dicendus haud inutilis,
Et adiuuanda eſt talis aemulatio,
Ita nempe fiet vſitatior in dies
Latinitatis aureae ſcientia:
Eiusque porro varias optimas opes
Frequentiori diſtrahere commercio
Cunctis licebit. Sin minus, breui accidet,
Ex vanae gentis arrogantia, vt ſibi
Occludat ipſa limpidos fontes bonae

Antiqui-

Antiquitatis: cuius ingenuae quidem
Veneres salesque lepidi et ars aequabilis
In libris, quos nunc Gallica expolit manus,
Plerisque nullum iam fere inueniunt locum.
Hac ipse commotus aliquantulum fui
Iniquitate temporum et deterritus,
Ne quid latine scriptum mandarem typis.
At primum in istis, quos poliui, fabulis
Satis expedita cum sit simplicitas stili,
Breuitasque et sensus varietas probabilis:
Esse placituras aliqua parte credidi
Venturasque etiam in multitudinis manus.
Tum si longe aliter accidat, paucissimis
Contentus esse decreui lectoribus;
Satis beatus, hi modo sint similes tui,
Optime Saleri, qui lepore candido
Et arte lucida et opibus cunctis bonae
Antiquitatis iam diu mentem tuam,
Bonam ipsam et alacrem, sedulo, infor-
maueris.

Satis diximus de elegantia orationis, qua noster adeo excellit, vt omnium, qui, Latine scribendi facultas quibus virtutibus contineatur, quibus indiciis se prodat, sciant, suffragiis, non vltimum illi locum tributum iri sperem inter eos, qui Latinae linguae veram indolem in libris suis expresserunt. Sunt, fateor, etiam in hoc pulchro corpore aliquot Laeui. Vsus est interdum, licet raro, sed vsus tamen est verbis quibusdam, magis recentiorum, quam veterum au-

ctorum

ctorum exemplo commendatis. Quis vero his maculis offendatur? aut quis ideo minus peritum elegantiae Latinae poetam esse dicat?

De ipsis nunc fabulis sententiam nostram dicemus. Has si omnes pari laude dignas esse lectoribus meis persuadere cuperem, quomodo non suspectum falsumque meum iudicium videri deberet? Quis enim decem quinque fabularum libros nil nisi egregium, nisi acute excogitatum, nisi eleganter dictum continere credat? Plurima tamen harum fabularum pars bona est. Nam in inueniendo acumen atque ingenii copiam, et in sententiis veritatem, et in narrando, tum singularem leporem, tum aptam breuitatem, immo cuicunque argumento accommodatum dicendi genus obseruauimus. Multa debet auctor aliis, qui fabulas scripserunt, Camerario, Abstemio, Fontanio, Benseradio, Lamottio, Richero, aliis. Ab his inuentas fabulas sumsit non paucas, easque, cum addendis aliis, tum aliis demendis, semper vero argumento ex sui ingenii indole, non ad praescriptum aliorum, exponendo, suas reddidit. Sed nec paucae insunt fabulae, quas ipse invenit *Desbillonsius*, quarumque ideo enarra-

enarratione integram sibi laudem vindicare potest. Earum vero virtutes quoniam optime intelliguntur exemplis earum allatis ipsis, age repetamus aliquot. Vbi tamen monemus, ne, si non optimas elegerimus (quid enim difficilius, quam, vbi multa bona adsunt, quod optimum sit, peruidere et eligere?) haec res fraudi sit auctori nostro.

Equus senescens.

Annos apud herum diuitem multos Equus, p. 206
Omni bonorum instructus affluentia,
Et dulce nulloque vnquam corruptum graui
Labore captans otium, peregerat.
At cum senectus adueniret et dies
Auferret aliquod vsque spolium corporis,
Mox ille coepit negligi, mox despici,
Mox odio haberi, pertrahendo denique
Plaustro admonetur. Tum suam infelix vocem
Dum queritur, alius quadrupes, cui se additum
Tam duro in opere faciendo socium dolet,
Age sanus, inquit, hoc reputa, laboribus
Nos esse natos perferendis maximis:
Vanisque sortem exasperare questibus
Iam desine: Tristis autem socius haec refert
Disparibus agimur fatis: miserias enim
Tu nosti tantum, eosque passus tamdiu
Ferre didicisti: contra vero mollibus
Ego in deliciis antea vsque vixeram;

Et nunc eo redire ad extremum mihi
Rem video, vt illum proprio exemplo probem
Bis esse miserum, qui ex beato fit miser.

Quid est, quod in hac fabula non placeat, quamcunque illius partem examinaueris? nisi fortasse illud *spolium corporis* Senecae, nescio cui, Tragoediarum scriptori, relinquendum fuisse existimes.

Iupiter, Modestia et Virtutes ceterae.

p. 149.

Varias virtutes cum creasset Iupiter,
Quae dulces homini et vtiles comites forent,
Produxit vltimam omnium Modestiam:
At ipsi in homine nulla iam sedes erat
Idonea, quam non de sororibus suis
Aliqua occupasset. Quod animaduertens:
Tibi
Nullam quidem, inquit Iupiter, sedem licet
Habere propriam, his ceteris qualem dedi:
Sed istae quoties emicare coeperint,
Te simul adesse iubeo; ne quid audeant,
Quod non tuo ipse more blando temperes.
Hinc vsque laude vera Virtutes carent,
Quibus Modestia pretium non addidit.

Ad meum sensum non poterat haec sententia meliore fabula conuestiri, nec satis iam noto praecepto iucundior spe-

cies

cies tribui, quae alliceret, caperet, moveret animum lectoris. Addam simile exemplum.

Malus exspoliata.

Onusta pulchris optimisque fructibus p. 34.
Superbiebat Malus: nam quotidie
Ad ipsam berilis ventitabat familia,
Modo hoc, modo illud pomum, cui maturitas
Pretium addidisset, decerpendi gratia.
Sic illa amicos facere stulta credidit:
At praeter folia postquam nil superfuit:
Eadem repente sese desertam videns:
Heu! fuerat, inquit, diuiti nullus mihi
Amicus, quoniam nullus est nunc pauperi.

Nonne vero ex ipsâ verborum collocatione facile aures, Latini poetae numeris assuetae, felicem Phaedri Terentiique imitatorem agnoscent? Taceo alia exempla, allatis, nisi meliora, certe nec inferiora. (*v. a. p. 30. 15. 22. 113.* cet.) Ad alia enim propero. Vel his speciminibus inuitatum iri puto omnes, humanitatis sensu praeditos poeticesque studiosos, ad reliquas fabulas legendas.

Ipsis fabulis subiunctae sunt animadversiones, quibus interdum illustrantur quaedam, quae minus exercitato lectori subobscura esse auctor credidit; ple-

rumque vero dicendi, quibus vsus est, formulae bonorum auctorum exemplis aut confirmantur aut defenduntur. vbi obseruauimus quidem multa, quae scientiam Latinae linguae accuratam proderent, sed multa quoque non necessaria. Admonet etiam lectores, quoties aliorum fabulis vtitur. vbi luculenta ingenuitatis vestigia exstant. quare neque, vbi auctores fabularum omisit, id fraudulento consilio tribuendum est. Aut enim memoria virum praestantissimum fefellit, aut, vt fit, idem, quod alius, inuenit viditque. Illius certe fabulae, vt exemplum aliquod addam, quae, *Poëta epicus et Aesopus*, inscripta est, argumentum fere continetur facetiarum
p. 506. Hieroclis quodam capite (*).

Indices huic libro additi sunt copiosi non solum sententiarum, sed etiam rerum, immo verborum nonnullorum. Sed ii magis onerare librum, quam iuuare lectorem videntur. In praefatione bene longa de fabularum natura agit, quique fabulas composuerint, scriptores recenset. Miramur vero et Anglos et Germanos ab Auctore omissos fuisse. Nam

(*) Hieroclis ἀστεῖ. n. IX.

Nam eum non hoc eo consilio fecisse animoque, quo Galli Germanorum inprimis libros silentio praetereunt, reliqua viri humanitas et aequitas ostendit. Quare eum nostrorum hominum fabulas non nosse apparet, quarum tamen maiorem partem etiam sua lingua Galli nunc legunt. Multis quoque verbis consilium, p. 9. quod cepit, Latine scribendi excusat defenditque. Quid vero iudicemus de litterarum in ea regione sorte, vbi eiusmodi defensio requiritur? Sed fortasse, etiam Germania, nisi seueriore studio, antiquos scriptores cognoscere inceperit, eiusmodi orationem et exspectabit et postulabit. Ceterum ex hac praefatione intelleximus, idem euenire auctori nostro, quod aliis quoque accidisse vidimus. Ille suauis, disertus, Latinus poeta, *Desbillonsius*, non sat valet soluta numeris oratione. Huius asperitate duritieque cognita, cui etiam verba admixta sunt non optima, numeroque, quem facilius sentimus, quam describimus, percepto, vix putes, eundem auctorem paullo ante tam suauiter nos versibus suis delectasse.

Prima harum fabularum editio prodiit Glascouiae (1754.) et quinque li-

bros continuit: altera totidem notis aucta Parisiis euulgata fuit; (1756.) haec vero, quam in manibus tenemus, tertia, non solum quindecim libros, sed omnes quoque magis politos, emendatos limatosque, exhibet. Id quod ipse auctor de se praedicat. Priorum vero editionum quia nunc nulla nobis est copia, emendationum harum exempla a nobis dari nequeunt. Interim dabimus Epilogum totius operis. Nam si tantae suauitatis scriptorem, quantam vbique praebet *Desbillonsius*, in manibus habemus, eiusdem voluptatis, qua nostrum animum expleuimus, sensum quam plurimis impertire cupimus.

Epilogus.

p. 527. *His lusibus ego leniebam taedium,*
Si quod erat, vt fit, solitudinis meae,
Et, verisimiles comminiscens fabulas,
Apte loquendi munera non modo bestiis
Sed rebus etiam, quae carent sensu, dabam,
Mundumque tentabam vniuersum reddere
Vocaliorem: vt inde possit ad bonos
Regina nostra haec Ratio mores instrui.
Nec poenitet me, quod inhonoratos dies
Tenuibus hisce deditus studiis agam:
At in remoto praesepultus angulo
Senescere velim, ne quid illius, illias
Imma-

Immanitatis impiae, quae nunc viget,
Aſpicere cogar. Quid? vivi peruenimus,
Vt religionis patriae contra ſacros
Veteresque ritus ſeſe homunculus frequens
Inferre pugnax audeat? vt omnem dei
Abolere cultum tentet? vt ſanctiſſimis
Certiſſimisque nobiles auctoribus
Leges reuellat, conſecratam rideat
Laudem pudoris, temperantiam, fidem,
(Etiam efferatis barbarisque gentibus
Verenda nomina) pro meris nugis putet?
At haec mihi quando per tenuitatem meam
Domare monſtra non licet, fugere expedit.

IV.

Manuelis Philae Carmina Graeca, maximam partem e codicibus Augustanis et Oxoniensibus nunc primum in lucem producta, aliqua etiam iterum publicata; omnia nunc in vnum, excepto poemate de animalibus, collecta, emendata, *latine interpretata*, et annotationibus illustrata: accedit ignoti poetae antiquioris carmen in S. Theodorum ex Augustano codice nunc primum editum: praemittitur dissertatio de Philae vita, aetate et scriptis, curis Gottlieb Wernsdorfii.

Lipsiae, apud B. C. Breitkopf. et fil. a. 1768. 8. Alph. I. pl. 2.

Prodest Philae illiusque editionem siue suadet, siue defendit, quam ab aetate, qua vixit, habet, commendatio. Ipsa enim si carmina examinamus, cum orationem videmus multas contraxisse sordes ab illorum temporum, quibus linguae purissima indoles elegantiaque naturalis perierat, contagione, tum omnes, quibus ingenium poetae et car-

minis

minis praestantia censetur, virtutes in illo admodum mediocres fuisse, intelligimus. Vbique argutias captat, dumque nouo modo sententias loqui cupit, ab ingenio destitutus, risum mouet: durus, non audax, in figuris atque in similium comparatione instituenda infelix. Quare qui, diuturna eum optimis Graeciae poetis familiaritate contracta, ingenuam et amabilem Graecae Musae faciem norunt et vnice diligunt, eos Philae monachalis elegantia parum delectabit. Immo ne numeros quidem veterum expressit: *politico*, quod male iambicum appellatur, cum numeri syllabarum tantum ratio habeatur, *metro* vsus. Sed insunt in illius carminibus non pauca, quibus illorum temporum, quo Philes vixit, historia illustratur, vnde plenius mores, ritus, opiniones hominum cognoscuntur. Hinc Byzantinae historiae ex pessimis versibus lux aliqua affunditur. Praeterea ad historiam ingenii humani cognoscendam non solum faciunt egregia magnorum virorum opera, sed pertinent huc quoque mediocres, immo, qui ne mediocritatem quidem attingunt, libelli. Iuuat profecto, quam ob causam quoue

 iure

iure Philes tanta apud aequales eruditionis laude floruerit, immo τῦ σοφωτάτυ nomen retulerit, ex ipsius viri carminibus perspicere, atque hinc de vniuersa, qualis tum fuerit, eruditione coniecturam facere.

Huius Philae carmina, quotquot Cl. *Wernsdorfius* indagare potuit, praeter librum *de animalibus*, saepius iam editum, collegit et euulgauit. Plurima ex codicibus, Augustano et Oxoniensi, protulit nunquam antea vulgata. His et Latinam interpretationem et animadversiones addidit, quarum rationem ipse explicat: "Singulis, inquit, carminibus "subieci annotationes, neque nimis multas nec nimis longas, quibus illustretur sensus scriptoris, quantum necesse "sit, saepe etiam explanentur verba, "praecipue vera lectio constituatur e "mendis repurgata. Philologicis com"mentationibus supersedere potui in "scriptore, quem nemo, opinor, Graeci "sermonis causa lectitabit, singulares "tamen eius locutiones, quas cum lexicis alii scriptores ignorant, et citerioris aetatis propria vocabula, qualia e "Cangii glossario discenda sunt, non neglexi subinde annotare et explanare."

Quod

Quod Viri Cl. consilium placet. Obseruauimus etiam, multa illum feliciter emendasse, alia diligenter explicuisse, nec vulgarem historiae Byzantinae scriptorumque, a quibus illa traditur, Graecorum scientiam ostendisse.

Quis vero fuit hic Philes, quoue tempore vixit? Harum quaestionum explicatio in praefatione instituitur.

Manuel Philes, natione Ephesius, ineunte sec. XIV. sub Andronicis Palaeologis vixit, vt erudite contra aliter sentientes Vir Cl. ostendit, natus circiter a. 1275. morteque exstinctus a. 1340. Quaecunque enim de eo memoriae prodita sunt, huic temporis spatio conueniunt. Constantinopoli a Georgio Pachymere eruditus, potentiorum opulentiorumque gratiam captauit, iisque humiliter adulatus est: mox ab Imperatore, quem offenderat nonnullis, quae in Chronographia de illo dixerat, in vincula coniectus, et iureiurando dato, se nil contumeliosum in Augustum scripsisse, carcere liberatus. patronum habuit Io. Cantacuzenum, amicum Maximum Planudem. Quod vitae genus secutus sit, incertum est. Neque tamen eum sacerdotem aut monachum fuisse, Vir Cl. existimat, sed potius

potius aut vitam priuatam carminibus scribendis tolerasse, aut munere aliquo parum insigni functum fuisse existimat. Diuitiis quidem mihi nunquam abundasse videtur poeta. Certe iis verbis mercedem postulat pro carminibus suis, quibus nullum dubium relinquit quid indicare voluerit. Oblitus patris Apollinis nouemque puellarum Imperatorem alloquitur:

Cupio canis esse, heri sui amans, et ad ipsas
micas herilis mensae respicio (*).

Huic igitur psittaco iteratum χρῦμα profecto venter, magister artis ingeniique largitor, expediuerat. Quid multa? Immo sat longo carmine decantato, Cantacuzeno, quid optet, quid spectet, his verbis narrat:

Num paratus es ad referendas gratias pro
laudatione tua,
An ideo ades, vt meam audaciam redarguas? responde:
Namque paueo et rem totam cognoscere
cupio (**).

Quae

(*) Carm. VIII. p. 254.
Θέλω γὰρ εἶναι φιλοδέσποτος κύων
ὁρῶν ἐπ' αὐτὰς τῆς τραπέζης τὰς ψίχας.

(**) Carm. V. p. 234.

Ἀρ

Quae ſi Cantacuzenus non intellexit, nulla certe fuit poetae culpa. nam apertius vix loqui poterat.

Recenſeamus nunc ipſa carmina, breviterque eorum argumenta commemoremus, adſperſis aliquot, quae Philae ingenium et orationem oſtendunt, ſpeciminibus.

I. Carmen ignoti poetae in S. Theodorum, quod verſibus CCLXXVII. conſtat: repertum in codice Auguſtano. Auctor carminis ignoratur; ſed videtur fuiſſe monachus, carmenque circiter a. 1234. ſcriptum, eo tempore, quo Cpolis adhuc a Latinis tenebatur. Exhibet etiam hoc carmen triſte ſpecimen controverſiarum atrociſſimarum, ob leuiſſimas res exortarum, quibus tamen ſacrificuli calidi omnem verae religionis doctrinam contineri popello perſuadere nitebantur. Vehementer enim hic verſificator in panes azymos Latinorum inuehitur, omnemque rei Chriſtianae ſalutem azymo pane euerti et ſubrui putat. Totum carmen plenum eſt anili et ridicula ſuperſtitione. Theodorus enim tam

Ἆρ᾽ εἰς ἀμοιβὰς εὐπρεπὴς εἶ τῶν κρότων;
Ἢ τοῦ θράσους ἔλεγχος ὀφθήσῃ; φράσον.
Συστέλλομαι γὰρ καὶ μαθεῖν τὸ πᾶν θέλω.

tam miras res, in ipsa quoque re culinaria, edidisse fertur, vt vtrum lacrimis hominum istius aetatis stuporem, an risu prosequaris nescias.

II. Carmen in monachum leprosum, qui ad corpus morbo corrosum sanandum in fonte suburbii Cptani lauerat, salutemque a virgine Maria, cui ille fons sacer erat, exspectarat, sed, vt facile quisque intelliget, frustra; prope illum fontem extinctus. Carmen antea nondum vulgatum fuit. Insigne ingenii poetici documentum continent versus:

Ἵνα φανῇ πνευματικὸς ὀκτάπους
Ἐν τοῖς θεοῦ κρίμασι τὴν νῆξιν φέρων
Προὔθηκεν πᾶν ἕτοιμον εἰς λώβην μέλος,
Μὴ παρασυρῇ τῶν παθῶν τῇ προσχύσει (*).

Latet his sub verbis magna sapientia. Sensus enim est: Sicut polypus suos ipsius pedes circumrodit, sed mox, alimento aliunde sumto, damnum reparat, ita monachus circumrodi sensit membra sua, renascitura in mortuorum resurrectione.

(*) *Vt enim esset spiritualis quidam polypus piscis atque vt in dei iudicio natandi facultatem haberet neque vnquam alluentium perturbationum impetu abriperetur, quoduis membrum suum promte porrexit leprae depascendum.*

ctione. Vt nautilus testa inuersa natat et pedes supra aquam protendit, sic etiam monachus, vt in iudicio dei corpus sustinere ac natare possit, exerit membra sua, eademque depasci a lepra sinit. — Quis in his versibus non monachi stuporem, non concionatoris eruditionem agnoscit?

III. Carmen in Imperatorem, quem Andronicum seniorem esse putat Vir Cl. Nam in codice Augustano, vnde nunc primum editur, exstat: *του αὐτου εἰς τον αὐτοκρατορα βασιλ.* Sed Basilio Porphyrogenetae hoc carmen quo minus tribui possit, multa impediunt. Simile est reliquorum hoc carmen, cuius initium repetam:

Ἀσύγκριτος εἶ, Βασιλεῦ, σιγάτωσαν οἱ λόγοι
Ἀνέκφραστος τὴν φρόνησιν, ἐῤῥέτωσαν οἱ κρότοι.
Σὺ μὲν γὰρ φῶς ἀπὸ φωτὸς τοῦ πρώτου χρηματίσας,
Τῷ δραστικῷ σου τῆς ψυχῆς τὰ φῶτα προσλαμβάνεις.
Ἡμεῖς δὲ τὰς ἐλλάμψεις σοῦ κυκλοῦμεν καὶ βομβοῦμεν,
Ὥσπερ ἐμπίδες ἀδρανεῖς καὶ κώνωπες καὶ κνίπες,
Καὶ καταβαπτιζόμεθα τῶν ἔργων σου τῇ χύσει.
Ὡς βυθοδρόμοι καὶ δειλοὶ καὶ φίλυδροι διφάδες. (*).

Nonne

(*). *Incomparabilis es, imperator. Taceat oratio. Inaestimabili es prudentia. Valeant*

Nonne praestat omnino nihil suarum laudum audire, quam eiusmodi versibus celebrari? Quae sequuntur, digna sunt tali exordio.

IV. Carmen de floribus. Wernsdorfius primus illud reuulgauit. Prima illius pars ad spicam, altera ad vuam, tertia ad rosam, quarta ad malum punicum pertinet. Hoc vero carmen, si quid video, melius est reliquis omnibus: Curiose certe, nec plane infelici conatu, florum fabrica describitur naturaeque mira ars explicatur.

V. Ἠθοποιΐα, i. e. carmen laudibus Ioannis Cantacuzeni dicatum, qui posthac imperauit, tum vero magni Domestici officium administrabat. Particula carminis iam a Fabricio edita fuit. Est illud longissimum, ideoque molestissimum, ad dialogi formam scriptum. Colloquuntur enim ὁ Νοῦς et Philes de Canta-

leant plausus. Tu enim, quamuis lumen es a primo lumine, tamen aestuosa animi tui vi lumen tuum adauges. Nos vero fulgorem tuum susurrando circumvolitamus, tanquam imbelles culices et muliones ac muscae, et factorum tuorum magnitudine obruti deorsum vergimus, vti desides in imo fundo miseraeque dipsades aquaticae.

Cantacuzeni virtutibus: ipſae quoque virtutes loquuntur: tandem ipſe Cantacuzenus verba facit. Vel hinc inepti monachi ingenium cognoſcere licet. Magis vero ſtultitia hominis apparebit illi, cui tantam ineptiarum patientiam natura tribuit, vt totum carmen perlegere queat. Dicit enim ridiculus verſificator heroum ſuum eſſe ſolem, ignem, ventum, aquam, terram, mare, montem; eum ſyluam, aquilam, vulturem, gruem, turturem, columbam, olorem, et quid non? eſſe: immo, quod multo peius eſt, ſemper verſibus ſeptem, cur hoc nomine illum appellat, commemorat. Vis tu exemplum? Dabo vnum e multis. Mens, (Νȣ̃ς) neſcio vtrum ſana an aegrota, loquitur: (p. 195.).

Ὄχνην ἐγὼ τὸν ἄνδρα, καὶ μῆλον μέγα
Καὶ ῥοιὰν ἡδυκόκκον εἰς δεινῶν φθίσιν
Καὶ τῶν ἀφανῶν ἀντιφάρμακον πόνων,
Καὶ πᾶν ὅ, τι χρὴ, τοῦτε καλέσαι κρίνω.
Πλὴν τίς τοσαύτην εὗρεν εἰς ταῦτα δρόσον,
Ὅτην ὁ σεμνῶς τοῦ καλοῦ γεγευμένος
Ὧν τὴν φύσιν φρίττουσιν αἱ πάντων φύσεις (*).

Ex

(*) *Hanc virum ego etiam pyrum et malum grande*
Et cum dulcibus granis malum punicum, quod ad calamitatem
Et

Ex hoc specimine facile lectores reliquarum comparationum indolem virtutesque colligent. Mirifice tamen hac in arte sibi auctor placuisse videtur. Totam enim rerum naturam percurrit, materiemque ineptarum similitudinum non sine pudore colligit.

VI. Epigrammata Philae, quae a Fabricio iam edita denuo exhibentur. Celebrantur iis laudes hominum, quos superstitio *sanctos* appellat, quosque horum Actorum lectores parum curaturos esse puto.

VII. Philae carmen ad Augustum, cum ob Chronographiam in suspicionem adductus ad firmandam fidem iureiurando confirmaret, nullo se verbo Augustum laesisse. Etiam hoc ab Hier. Guntio editum cum Theodoro Prodromo.

VIII.

Et occultarum aegritudinum depulsionem salutare sit,
Et quiduis aliud, quod par est, eum vocandum esse iudico.
Verum quis reperiat etiam in illis tantam succi boni vim,
Qualem deprehendit, qui reuerenter gustauerit illam virtutem,
Cuius indolem omnes omnium mentes reuerentur?

VIII. Carmen de Elephante, e codice Bodleiano a Fabricio euulgatum. Praemiſſi ſunt ipſi carmini verſus quidam, quibus meus homo illud Imperatori dicat, non ſine argutiis, vnice quae iſti aetati placebant, quaeque nemini in mentem venire poterant, qui non Philae ſimilis eſſet.

Ἐκ τῆς ὑλακῆς τῶν ἐμῶν περιδρόμων
Δέχου τὸν Ἐλέφαντα, καθάπερ φόρον,
Ὃν εἰς λόγων θήρατρον ἐζώγρησά σοι,
Κρυπτὴν ἐπελθὼν γνωστικῆς λοχμῆς τρίβον.
Ὡς ἂν ἔχῃς ἥδυσμα τὸν θῆρα ξένον
Τρυφῆς λογικῆς εὔπορον, ἄτερ πόνων (*).

Interim reliquis hoc carmen præſtat, ſiue quod minus ingenio indulſit poeta, ſimplici rerum narratione contentus, ſiue quod argumentum ipſum nos retinet. Interim longe inferius eſt hoc carmen alio de Elephanto carmine, a Io. Paſſeratio compoſito. Dignum il-

 lud

(*) *Ex meis quaeſo gannitibus, te circumambientis,*
Recipe hunc Elephantem, veluti tributum,
Quem eruditionis caſſibus cepi viuum,
occultam ſemitam ſapientis
Saltus ingreſſus, vt nempe tu ſine labore
conſequerere hanc peregrinam
Feram, tanquam bellarium aliquod, voluptatis animi efficax.

lud visum fuit Harduino, quod adderet Plinio suo, nec illud Gesnerus in Chrestomathia Pliniana omisit.

IX. *De Bombyce*: carmen iam a Dorvillio euulgatum: quod non legi: non enim mihi persuadere poteram, Philenstauius Hier. Vida de hoc argumento scripsisse.

X. *Epigrammata varia*, addere possumus, inepta et insulsa. Argumentum praebuit religio.

XI. *Elogium Pachymerae*, a Leone Allatio et Fabricio editum. Magistrum autem suum dum deplorat auctor, coelum terramque mouet, quasi solis lumine extincto, mirasque tragoedias excitat.

XII. *Elogium Phacrasae*, etiam a Leone Allatio euulgatum. Nunquam hi homines aliquem laudare possunt, quin totum hominum genus conuocent, coelumque et sidera accusent.

XIII. *In templum Euergetae*: carmina duo ex Cangii Cpoli christiana depromta; sed emendata singulari cura ab editore.

Lubuit aliquoties sortem Cl. *Wernsdorfii* dolere, cui tot ineptiis diutius immorandum fuit, quae nobis, leuiter eas tantum delibantibus, totum hunc

diem,

diem, quo haec scripsimus, iniucundum reddiderunt. Tam iniquam duramque sortem experimur, qui *Acta litteraria* scribimus!

V.

Io. Frid. Noltenii, Ducalis Scholae Schening. quondam Rectoris, Lexici Latinae linguae Antibarbari quadripartiti *Tomus posterior*, cum supplementa Tomi Prioris, tum bibliothecam Latinitatis restitutae continens: ex b. Parentis mandato edidit et praefatus est *Io. Andr. Noltenius*.

Lipsiae venum prostat in taberna Weygandiana, 1768. 8.

Vtile esse Noltenianum Lexicon, commodumque ad comparandam accuratam Latinae linguae scientiam, genusque scribendi purum atque vel a minima labis cuiusdam suspicione immune effingendum, professi sunt multi atque in se ipsi experti sunt. Non equidem censeo, posse aliquem, ipsa ve-

terum auctorum lectione neglecta, probabiliter scribendi facultatem inde nancisci. Nam et laus orationis longe maioribus pluribusque continetur virtutibus, quam sola verborum vel optimorum copia, et ipse *Noltenius* suo, ni fallor, exemplo ostendit, nisi assidua lectione priscos auctores conteramus, non modo totius orationis nostrae colorem habitumque a Latii ingenio abhorrere, sed in singulis quoque verbis nos saepissime labi. Interim commendandus est tamen liber cum iuuentuti, Latinae linguae studio deditae, tum, qui pueri os tenerum figurant beneque scribendi praecepta tradunt, magistris.

Libri igitur a multis lecti laudatique pleniorem recensum nemo a nobis exspectabit. De altero potius, quod nunc nacti sumus, volumine accuratius agemus: praesertim cum multa contineat, quae nosse intersit prioris possessoribus.

Duas partes hoc volumen complectitur. Prioris argumentum ipse titulus clare indicat: *Supplementa cum emendationibus hic atque illic intermissis ad Lexicon latinae linguae antibarbarum*. Quarum animaduersionum specimina non sat commode a nobis dari possunt.

possunt. Perpauca tamen commemorabimus. Longius reliquis est caput de p. 9 - 27.
quantitate adiectiuorum, quae in *iuus* exeunt. Scioppii enim, Vrsini et Olai Borrichii de hac re altercationes repetuntur, copiose, quibus quisque vsus erat, argumentis explicitis. Eorundem de quantitate syllabae penultimae verbi *ap-* p. 28 - 35.
pendicis disputationes verbosas suo operi *Noltenius* addidit alio loco. Vbi non nego multa dici docte et acute ab illis: sed ipsa argumenta excutere non lubet. Breuiter potius attingemus disputatiun- p. 95.
culam viri docti de paganitate stili, quam vehementer damnat, refutato simul *Io. Fridr. Christio*, qui in orationibus *pro patrimonio poetarum* maiorem nostrae aetatis scriptoribus libertatem hac in re concessit, quam auctor ab homine Christiano fieri debere arbitratur. Sed durior profecto acerbiorque fuit *Noltenius*, quam par esset. Quis enim tot leporibus, tot iocis amoenissimis interdicat poetis, in re ludicra et iocosa versantibus, quorum suauem materiam fabulae veterum praebent? aut quis, si poeta de *sancta Venere* et *pharetrato Cupidine* loquitur, vehementer cum Auctore in eum inuehatur dicatque: *nemo*

temere fuerit, qui existimet, te, sic sermocinari haud erubescentem, bona mente credere in Christum. Eripe poetis hanc iocandi copiam: deme, qui in Graeciae Latiique hortulis proueniunt nec sine venere carpuntur, hos flosculos; eripies iis delectandi lectores ingenuis innocuisque facetiis praeclaram materiem. Quem non suauissime *Io. Secundi*, *Lotichii*, *Heinsiorum*, atque vt alios addam, *Gresseti*, *Chaulieu*, *Gleimii*, *Iacobi* versiculi afficiunt? Eorum tamen, qui placent, leporum bona pars repetita est ex fabulis antiquis. Non, qui de Venere tanquam dea loquitur, ideo etiam animum sacris profanis addicit: immo Veneris nomen ponit, Cupidinisque arma recenset, quia dulcedo harum imaginum nos capit, quia inde ab antiquissimis temporibus omnesque apud populos hae fabulae receptae, probatae, laudatae sunt, nec, qui eas ignoret, reperiatur. Quodsi vero de iniustis argumento vero, graui, religioso, deorum ministeriis agitur, tum longe alia res est. Nam hinc plane exulare debere arbitror istas fabulas, non tam ob atrox impietatis crimen, sed quia fabulae sunt.

Altera

Altera voluminis pars indicat, auctores, qui latine dicendi scribendique praecepta tradiderunt, aut quocunque modo Latinae linguae studium iuuerunt auxeruntque. Est ea bipartita. Titulus prioris partis est: *Bibliothecae Latinitatis restitutae Conspectus generalis, eorum auctorum ac librorum, qui deinceps in Conspectu speciali ad ordinem Alphabeticum cum vberiori quadam recensione proponuntur, certas quasdam constituens classes.* Cuique enim classi assignauit *Noltenius* eos, qui de aliqua Latini sermonis parte bene mereri studuerunt, initio ab recte scribendi praeceptis facto. Id quod ideo fecisse videtur auctor, vt breui quasi in tabula nomina omnium conspiciantur, quos magistros in bene scribendi arte eligere liceat.

Eorundem vero copiosiorem notitiam alter praebet index, *Conspectus specialis* inscriptus. Non solum enim plenos librorum titulos exhibet, eorumque varias editiones commemorat, sed argumenta quoque illorum, modo breuiter, modo curiosius explicantur, controuersiae hinc exortae attinguntur, denique, quid de libro iudicandum sit, docetur. Quem sane fatemur copiosissi-

 mum

mum esse indicem insignemque librorum, quibus Latinae linguae praecepta continentur, numerum complecti. Nonne vero vtilior foret bonorum tantummodo librorum index? Fuitne operae pretium, recensere tot ineptos et futiles libellos, memoriamque eorum, qui diu iam puluere obsiti iacent, renouare? Huc pertinent illae *Flauissae*, *Ianuae*, *Medullae*, *Claues*, illi *Horti* et *Hortuli*, quibus nascentibus breuem vitam Parcae dederunt. Ipso iam titulo indicatur, quid ex illis disci percipique possit. Quid? quod capitali libro Pauli Aleri,
p. 59. *Gradus ad Parnassum* inscripto, locus
p. 802. datus est: nec Weinrichii *Aerarium poeticum* omissum fuit! Equidem satius esse duco, eiusmodi libros plane silentio praeterire, cum, quia nullam ob virtutem digni sunt, quorum mentio fiat, tum vt, quantum in nobis positum sit, ad oblitterandam malorum librorum memoriam conferamus. Sed voluit procul dubio *Noltenius* non tam bonorum, quam omnium librorum, quorum auctores quoque modo et qualicunque euentu Latinae linguae scientiam iuuentuti instillare conati sunt, indicem plenissimum contexere. Quanquam vel

sic

ſic quosdam libros hoc ex indice omit-
tendos fuiſſe puto, qui non Latinum ſer-
monem, ſed antiquitatis memoriam illu-
ſtrant. Quomodo huc pertinet *Io. Chriſt.* p. 300
Kochii de Satyra e re litteraria elimi-
nanda libellus, praeſertim cum nec ele-
ganter ſcriptus ſit, et rem, ſaepe ſaluta-
rem admodum, infimis argumentis dam-
net? quomodo opera, quibus *Ant. Au-* p. 64.
guſtinus, *Begerus*, *Wildius*, alii gemmas, p. 71.510
antiquis ab artificibus ſculptas, numos-
que euulgauerunt? Immo de his libris
ne recte quidem iudicaſſe auctorem,
oſtendunt ea, quae de Wildianis libris,
parum qui oculos eruditos delectant, di-
cit. Sed ſaepius incidimus in iudicia
viri docti de libris quibusdam, de qui-
bus valde ab eo diſſentio, praeſertim cum
ipſe plerumque auctoritatem ſequatur
Morhofii, viri quidem docti, ſed Critici
non ſat acuti. Non mihi *Io. Clerici*
Ars Critica iis laudibus digna videtur,
quibus eam *Noltenius* ornauit. Magis p. 129.
enim Clericus dialectices, cuius familia-
ritate, vt Numa olim Egeriae, gloria-
batur, ope rem efficere ſtuduit, quam
veterum chartarum, antiquae ſcripturae,
vtriusque linguae auctorum ſcientia.
Nec *Schoenslederi Apparatus Eloquen-*

tiae vllo modo iuuentuti commendari
debebat. Eiusmodi libris non tam acui-
tur aliturque, quam opprimitur deletur-
que iuuenile ingenium. Namque, si vel
quidquam inde disci potest, magnam pue-
ri formularum copiam memoriae man-
dant, quarum plerasque non intelligunt,
nec, quomodo adhibeant, sciunt, quarum-
que aliae ne recte quidem ab auctore
excerptae sunt, plerumque commistis
inter se variarum aetatum scriptoribus.
Quo iure *Christophorus Schraderus*, vir
quidem doctus, sed parum disertus, aut
p. 442. elegans, *Tullii Helmstadiensis* nomen
acceperit, nescio. Hoc scio, *Masenii
artem nouam argutiarum*, aut, vt re-
ctius librum suum inscribere debebat
auctor, ineptiarum, non commendan-
p. 326. dam, sed manibus iuuentutis excutien-
dam esse. Nam qui istis argutiis semel
capitur, ille probabiliter se vnquam scri-
pturum esse, frustra sperat. Non vide-
tur auctor, qui alio loco logogriphum
p. 102. ridiculum profert, satis ingenium verae
eloquentiae, certe non satis facetiarum
iocorumque veram rationem, tenuisse.

Insunt tamen, quod non negamus,
huic libro multa vera iudicia de aliis
quae Latinae Grammaticae praecepta

bene

bene cognita habuisse auctorem ostendunt. Nam, vt specimen addamus, de *Comenianis* libris, quos multi in Germania, vbi omnium aures *scholis realibus* personant, vehementer commendant, rectius iudicat aliis, etiam iis, qui aut eloquentiam in Academiis docent, aut scholis praesunt. *Lu-* p. 137. *tulenta*, inquit, *ista sunt*, *barbaris vocibus et barbarismis plena*, *ne titulo quidem et inscriptione Latina*, *atque ita comparata*, *vt eam pueris barbarismorum scabiem adfricent*, *cui vix deinceps medela adferri possit per omnem reliquam vitam secuturam.* Vere mehercle! Sed qui emendationem scholarum quotidie commendant, plerique ipsi barbari sunt, cum ingenio, tum sermone. quos quis miretur barbaros libros praedicare? Eosdem tamen quis neget satis beatos esse, cum ignorantiam inscitiamque omnis venustatis callidissime abscondant aurea professione: se *verbalia* facile contemnere: sola *realia* sibi curae esse. quasi nil praeter verba e Graecis Latinisque scriptoribus discatur, aut reipublicae aliquam vtilem operam nauare possit homo, in dicendo scribendoque plane inexercitatus, omnis ele-

gantiae

gantiae expers, adeoque inurbanus in ipsa vita communi atque cum aliis consuetudine. Sed haec oratio parum iucunda erit quibusdam hominibus, qui soli nunc sapere sibi aliisque videntur. Reliqua ideo explicabimus.

Proposuit in opere suo breues virorum doctorum libellos *Noltenius* totos. Latinae enim linguae cognitionem eos iuuare credidit. Nec reprehendimus viri docti consilium. Vtinam vero meliores, quos cum lectoribus communicaret, libros elegisset! Nam, quos edidit, magis forte commendat auctorum nomen, quam argumenti praestantia aut elegantia orationis. Eorum indicem addemus.

p. 112.-120. *I. Io. Bened. Carpzouii, Prof. Helmstadiensis, Epistola de antiquae et recentioris doctrinae comparatione;* (edita primum Helmstadii, 1748.) qua tamen magis attinguntur quaedam, quam ipsum argumentum explicatur. Multis verbis narrantur concertationes de laudibus veterum recentiorumque in Gallia agitatae, quarum plenior scientia ex multis libris peti potest: reliqua omnia non sat accurate expenduntur. Videtur etiam

iam in nostrorum hominum ingenia iniquior esse Auctor.

II. Iac. Facciolati oratio, de Latina lingua non comparanda e Grammaticorum libris, cum animaduersionibus *Io. Georg. Walchii*, qui eam in Germania recudendam curauit. *Facciolati* eloquentiam venustatemque quis ignorat? p. 182-201.

III. Alberici Gentilis dissertatio de latinitate veteris bibliorum versionis male accusata: profecto non digna, quae iterum ederetur. Quomodo homo, qui ipse sat barbare scripsit, de sermonis elegantia iudicare potuit? Nec in arbitrum Latini sermonis cadit huius defensionis suscipiendae consilium voluntasque. p. 226-237.

IV. Io. Casp. Khunii Animaduersionum ad Vorstii librum de latinitate merito suspecta specimen (Argentorati 1715.) Multa auctor obseruauit, quae temere ab aliis negliguntur, neque illius libelli lectio inutilis erit. p. 281-298.

V. M. Io. Oldewelt contra Latio-mastiges de linguae Latinae antiquitate, amplitudine, vbertate etc. dissertatio, in qua inter alia haec quaestio tractatur: an Graeca Romanae linguae praeferri debeat? (Rostochii, 1611.) Hac p. 344-358.

quoque

quoque declamatione carere poteramus. Vbique auctor rhetoricatur. Exclamationes argumentorum locum occupant. Nec homo rem totam, de qua loquitur, animo complexus est.

p. 366-369. *VI. Iulii Pogiani Epistola de Ciceronis imitandi modo.* Elegantissime haec epistola scripta est, exemploque suo ipse auctor Ciceronis lectionem et imitationem vehementer commendauit. Plures si eiusmodi libellos *Noltenius* in opere suo proposuisset, magnas illi haberemus gratias.

p. 497-502. *VII. Io. Georg. Walchii Obseruatio de bellis Grammaticorum.*

Praeterimus alia, ex variis libris excerpta, dolemusque, *Noltenium* perdidisse chartas, ex inepto *Wagenseilii* de educatione principis libro longioribus locis excerptis. Aniculae enim delirantis garrientisque, quam sapientis Philosophi, auctor similis est, eoque sermone, qui tales ineptias docet, nugas ridiculas agit.

p. 471-497.

VI.

VI.

Decreta Romanorum pro Iudaeis facta, e Iosepho collecta et commentario historico - Grammatico - Critico illustrata: adiunctum est Decretum Atheniensium pro Hyrcano Pontifice M. Iudaeorum factum, commentario illustratum a *Io. Tobia Krebsio*, Illustris Moldani Rectore.

Lipsiae, sumt. Casp. Fritsch. 1768. Alph. I. pagg. 6. 8.

Ad magnam historiae Iudaicae sub Maccabaeorum imperio sequentiumque temporum partem recte cognoscendam illustrandaque alia, ad mores, ritus antiquitatesque Romanorum et Iudaeorum spectantia, multum faciunt Romanorum pro Iudaeis, eorum sociis et amicis, decreta, seruata a Iosepho, modo ipsa decretorum formula repetita, modo illorum tantum argumentis ab illo commemoratis. Sed in Iosephi editionibus, etiam omnium optima Hauercampiana, minus ad temporum ordinem accommodate illa collocata sunt: nulla temporum, quibus singula facta sunt, ratio

ratio habita: omnia inter ſe mista et confuſa. Nec, qui hanc hiſtoriam explicandam ſibi ſumſerunt, ita rem geſſerunt, vt, quibus illa adhuc premitur, difficultates tollerent. Denique librariorum oſcitantia et ignorantia multa ſunt deprauata in his Decretis atque corrupta. Nam, quod iam Scaliger, Caſaubonus aliique monuerunt, codices Ioſephi extant corruptiſſimi criticaque et medica manu valde indigent.

His igitur Ioſephi locis cum explicandis, tum emendandis eo aptior fuit Cl. *Krebſius*, quo maiorem cum Ioſepho illum familiaritatem contraxiſſe, oſtendit *Obſeruationum Flauianarum ad N. T. illuſtrationem libellus*, ante aliquot annos editus. Nec profecto exiguam aut inutilem Vir. Cl. in his decretis transponendis, corrigendis, illuſtrandis operam poſuit. Prima certe illius cura in eo verſata fuit, vt confuſio et permixtio horum decretorum tolleretur, vt ſuo quodque loco redderetur, omnia ad temporis ordinem diſpoſita exhiberentur: id quod Vir Cl. acute et diligenter cuiusque rei momento expenſo, ſcriptorumque teſtimoniis accurate examinatis, feliciter praeſtitit.

Alte-

Alterum, quod spectauit, fuit hoc, vt locis male affectis integritatem sanitatemque redderet, vbi non magis eruditionem viri, quam verecundiam laudandi frequentem occasionem inuenimus, vereque illum in praefatione obseruauimus de se praedicasse: "Non prius ad diuinationes confugimus, quam cognouissemus, non alia nos posse ratione mederi his locis male constitutis et tantum non conclamatis. Nam nos ex eorum secta esse profitemur, qui nihil, nisi ipsius rei necessitas exigat, emendandum putant, cum, opus periculi plenum esse, cuique loco, prima specie male affecto, medicam manum afferre saepe magno cum pudore cognouerint ii, qui in emendationibus, an corruptionibus dicam? extrudendis et effundendis nimis liberales et profusi fuerunt." Quibus verbis nil sapientius a Critico potuit dici. Nos certe hanc modestiae laudem pluris aestimamus omnium coniecturarum vel ingeniosissimarum specie. Tertium, quod Vir Cl. in hoc Commentario obseruandum sibi putauit, pertinet ad rerum verborumque illustrationem. Agnouimus hic non sine voluptate mirificam doctrinae copiam, Graecae lin- p. 14.

quae scientiam accuratam antiquitatisque studium singulare. Locis non paucis obscuris affusam lucem, multa Chronologiae historiaeque capita egregie exposita, indolemque Graecae linguae praeclare illustratam esse fatemur. Facile etiam hunc nos fructum ex hoc libro percepturos esse sperauimus, cognita viri Cl. eruditione pluribus documentis. Sed vniuersam Auctoris rationem nobis probari vt dicamus, a veritatis, cui nos vnice dediti sumus, studio impetrare non possumus. Primum enim, vt est Vir Cl. vbique fere verbosus ideoque lectoribus frequenter molestus, ita etiam multas obseruationes Grammaticas inspersit, nimis vulgares notasque, quibus non locus dandus erat inter tot praeclaras de rebus maioris momenti disputationes. Ipse fortasse Auctor hoc animaduertit. Nam, "quidquid est, inquit, huius commentarii, id non scripsimus vere doctis, et diu in hoc doctrinae genere feliciterque versatis; quibus hac re docere velle perquam temerarium et ab insania non longe abesset: sed iuuenibus harum litterarum studiosis, omnibusque omnino, vltra horum facultatem non longe in hoc doctrinae genere progres-

sis,

sis," qui aut per aetatis rationem aut ingenii imbecillitatem aut bonorum librorum inopiam sibi eam graecae linguae bonarumque omnino litterarum facultatem nondum comparare potuerunt, vt in his Decretis legendis intelligendisque facile et feliciter versari possent." Sed quis credat eiusmodi homines aut omnino hunc librum lecturos, aut, si legerint, inde aliquem fructum percepturos esse? Illam enim subtilitatem, quae in temporum ordine constituendo, in scriptorum locis emendandis, in componenda sententiarum varietate versatur; illas interiores et reconditas litteras, nemo capiet, nisi qui iam progressus non contemnendos in litteris fecerit. Viris ista scripta sunt, non pueris. Cur igitur multa monuit, quae viri dudum didicerunt, inuitique nunc sibi inculcari videbunt? Deinde videtur etiam Auctor quorundam in magistrorum verba iurasse, quos vnice laudat et commendat. Hos solos arbitratur sapere, reliquos, tanquam alter Tiresias, vt vmbras volitare putat: illos laudibus ad coelum extollit, nec eorum quenquam commemorat, nisi honorem praefatus, nisi sollemni et magnifica formula ὁ πάνυ, addita:

Haud equidem invideo, miror magis.

 Potest

Poteſt eiusmodi ſermo, qui modeſtiae ſpecie ſe commendare cupit, apud multos in ſuſpicionem aut adulationis aut imperitiae cuiusdam incurrere. Sed nolumus durius haec examinare.

Decreta Romanorum Auctor. collegit XI. Athenienſium vero decretum iam ante ſedecim annos illuſtrauit commentario, qui nunc auctior prodit.

VII.

De vitis Philologorum noſtra aetate clariſſimorum Volumen tertium, auctore Theoph. Chriſtoph. Harleſio, Culmbacenſi.

Bremae, imp. G. L. Foerſteri, 1768. pagg. 184. 8.

Qui noſtrae de prioribus voluminibus ſententiae libertatem eo animo accepit, qui virum doctum et humanum apprime decet, quemque Celſus, Hippocratis retractione laudata, magni hominis fiduciamque magnarum rerum habentis proprium eſſe dicit, eruditiſſimus *Harleſius*, idem nec illubenter,

quid

quid de tertio hoc volumine iudicem, audiet. Atque etiam animum auctoris candidum, simplicem, apertum, veritatis studiosum, a studiis partium alienum vbique animaduertimus. Nec enim obscuris signis haec virtus se prodit. Recte etiam illum de litteris iudicare, verae eruditionis naturam acute ab inani illius specie distinguere, accurate quamque rem considerare atque examinare, nisi alia viri optimi scripta testarentur, vel solus hic liber ostenderet. Scribendi quoque genus redolet veterum auctorum diligentem lectionem. Quare interdum doluimus, operarum negligentia quam plurimis hunc librum peccatis deformatum esse. quae quis tam iniquus erit, vt ipsi viro docto tribuat? quis non potius Berolinensibus Criticis excerpenda relinquet? Vellem tamen, astrictius breviusque in vitis his dicendi genus vir Cl. adhibuisset. Optime enim illud huic argumento conuenire videtur. Magis desiderauimus illam artem, quae cuiusque ingenium doctrinamque accuratissima aurificis statera examinat, quaeque non tam in eo versatur, vt viros doctos laudet et commendet, sed, singulis litterarum partibus consideratis, in qua

maxime quisque emineat, indicet, quo progressus sit, quibus nouis quasi accessionibus auxerit rempublicam litterarum, vtrum inuenerit ipse multa, an, quae a maioribus accepit, magis illustrare studuerit, aliaque, quae huc pertinent, commemoret. His enim maxime virtutibus censetur prudentia illius, qui de vitis doctorum exponit: his quoque vtilem suam narrationem reddit lectoribus. Facile condonaturus eram aut remissurus viro optimo, quae de matrimoniis aut quorundam munerum Academicorum administratione dixit. Equidem prae his, quae in quam plurimos cadunt, alia cognoscere cuperem, inprimis vero accuratum auctoris de quoque iudicium. Oratorem esse *Schoepflinum* dicis, amice. Audio hoc. Cur vero non addis, quae sit illius eloquentiae quasi forma? quibus virtutibus spectetur? qua laude illius dicendi genus dignum sit? quae illi desint? Vnum exemplum dedi. Sed singulae vitae, si attentius eas examinaueris, tibi eiusmodi exempla praebebunt. Praeterea longior mihi fuisse videtur Auctor in argumentis librorum, minorum praesertim, recensendis, quam necesse esset. Nam qui nouitate opinionum

rum se commendant, illorum laus poterat ipsi vitae apte intexi, atque etiam hoc modo varietas quaedam in narrando adhiberi. Criticarum vero obseruationum repetitio nec necessaria est, nec iucunda esse potest lectoribus. Indicemus viros, quorum vitas hoc volumen complectitur, doctos.

I. *Ioannes Henricus Lederlinus*, olim in Academia Argentoratensi, quae diu illius non similem habuit, Graecae et Hebraicae linguae magister, qua in vita enarranda vsus fuit Auctor publicis Academiae litteris, fortasse a concionatore aliquo scriptis. Nam, quae inde excerpuntur, facilius popello, suum oratorem auidis auribus audienti, placere possunt, quam viris ingeniosis. Certe quis referat inter *grauia munera* (p. 13.) quindecim magistrorum creationem, qua nulla potest alia creatio facilior esse cogitarique! Non contemnimus omnino a maioribus traditum, legibus firmatum, nec plane inutilem morem; quis vero nefas ideo censeat, ridere, vbi quenquam, orbis terrarum salutem his similibusque rebus niti, arbitrari videamus? Nihil nobis memorabilius in toto vita visum fuit, quam quod Lederlinus

 quem

quem Auctor dicit suis rebus elatum spiritus interdum sibi sumsisse, nec controuersias cum quoquam habuit, nec lacessitus ab alio fuit. Sed profuit forte viro docto librorum, quos edidit, ratio. *Acta si litteraria* scripsisset, aliam, ni fallor, sortem fuisset expertus.

II. Christianus Ernestus de Windheim, Philosophiae et Orientis linguarum professor in Erlangensi Academia: qui quomodo locum inter *clarissimos philologos* nactus fuerit, non video. Neque enim scripsit, quod nostras litteras illustraret ornaretque, egregium quidquam, et, cum omnia animo complecti vellet, multa quidem degustauit leuiter, nihil accurate cognouit. Ipse etiam auctor eadem fere in sententia esse videtur. Liberrime enim de illo iudicauit, nec reticuit quidquam, licet memoriae viri parum honorificum esset, vnde nos quaedam repetemus, ne sententia ratioque Viri Cl. ignoretur. "Valde inconstans fuit in omni vitae et litterarum genere, noua semper molitus. — Cumprimis amauit philosophiam, qua excelluit et commentando et disputando, cum magna in eo esset perspicacia, quae latebras aduersariorum et fallaciam ar-

gumentandi facile detegeret: aetate autem prouectus genioque seculi et nouitatis studio abreptus plurimum temporis tribuit oeconomiae et historiae naturali cognoscendae; at non sine detrimento rei familiaris — Litteras orientales leuiter tractasse videtur, saltim negligenter tradidit, id quod famae insignem adspersit maculam. Litteras arabicas didicit demum vnum alterumne mensem, antequam munus capesseret Erlangense, ab harum perito, Michaelis Goettingensi. — Quanquam honoris fuit cupidissimus, nec facile vllum obtrectatorem perferre potuit, nescio tamen, qui factum sit, vt in tradendis litteris esset negligentissimus, et vtilitati auditorum et suae ipsius famae parum seruiret. — Quando particulas veteris Testamenti explicaret, vel potius percurreret, saepiuscule vsus est exemplo Lipsiensi, cui versio Schmidii addita est, vnde vertere: ab altera parte fuit Reineccii Ianua linguae, vnde radices vocabulorum petere: ab altera autem opus, quod Anglicanum Opus Biblicum dicitur, vnde interpretationes potiores recitare consueuerat. — Ab hac negligentia, a nimio feruore et alacritate inge-

nii profecta, ne in libris quidem con- scribendis, potissimum Moshemianis, abstinuit. Nimiis enim laboribus occupatum aut aliis negotiis curisue distentum quando bibliopola vrgebat, quae collegerat, repente consarcinauit, et typothetae tradidit: vnde misera illa quorundam facies et leuitas, et errorum turba, vbi extrema cum primis non apte cohaerent, aut haec illis sint contraria, aut verbis elata inconditis, orta est. — Hoc autem statuo, Windheimium, si omnes suas curas et cogitationes et diligentiam in vno litterarum genere consumsisset, nec adeo varius fuisset, leuisque, magnam orbis partem fama collustraturum fuisse. Nam quum magnum iudicii acumen, magnam vim ingenii, miram sedulitatem atque industriam, splendidam optimisque libris instructam bibliothecam haberet, quid potuisset praestare, si mature desiisset in omni litterarum genere errabundi more vagari, nec nouitatis studio abreptus πολυμαθίας laudem captasset? At ingenii velocitas, ardor et noui libido eum semper agitarunt, et a certo quodam scopo auulserunt." Immo ego ne magni quidem Philosophi nomen Windheimio tribuendum

dum esse censeo, si Leibnitium, Neutonum, Lockium, Hutchesonum, Grotium, alios magnos viros recordor. Quid enim inuenit, scripsit, habuit, quo locum inter illos mereret? Immo cathedrariam et formulariam Philosophiam tenuit, quam iuuenis e compendiolo aliquo hausit, tum bis quotannis iterum docuit. Hoc si agendo Philosophi nomen acquiritur, o fortunata nostra tempora! Quae est enim in Germania Academia, quin duo tresue Philosophos habeat? Sed orationem habeo non publici saporis.

III. *Christoph. Augustus Bode*, Professor publicus in Academia Helmstadiensi, rara orientis linguarum, Turcicae quoque, Armenicae, Copticae, praeditus. Quare nollem Vir Cl. prouocasset aliquoties ad *viri docti* in Gottingensibus Actis litterariis de Bodio sinistra iudicia. Nam ille, quem bene mihi nosse videor, totus, quantus quantus est, e *Golio* sapit, nec centesimam illarum litterarum, quae in Bodio sunt, partem cognitam habet, inuidia aut male dicendi libidine ad illas sententias ferendas adductus. Ceterum non male iudicat Cl. Harlesius: „Multa edidit scripta, quae

quae miram industriam et assiduitatem atque linguarum peritiam abunde testantur: quae quidem plures admiratores reperirent, pluresque ad parem diligentiam excitarent, si noster libris suis maiorem orationis suauitatem, plus elegantiae atque vrbanitatis et venustatis attulisset, eosque adfluentia quadam et suauitate, qua satietati occurreret, quasi condiuisset." Immo optant multi, vt, quam complexus est, ad vsum transferat Vir Cl. litterarum copiosam scientiam.

IV. Io. Daniel Schoepflin: cuius in vita describenda secutus est Cl. *Ringium*, qui nuper de vita viri eruditissimi accurate exposuit. A quo vt Vir Cl. multa scitu iucunda et necessaria sumsit, ita negligere debebat alia, quae nemo scire cupit, quorumque commemorationem nos quidem non exspectauimus. Quomodo enim nobis, viri docti et clari, non patrisfamilias, vitam lecturis, narrare potuit, Schoepflinum incenatum cubitum ire, multi esse cibi inter prandendum, rem domesticam sororem curare, aliaque, quae mittimus? Praeterea Ringiana oratio magis laudationis, quam historiae speciem habet. Nam

quae

quae de eloquentia Schoepflini dicun- p. 78.
tur, ea profecto tantum in Panegyricis locum habere possunt. Poteratne Cicero magis laudari? Quae quidem non ideo diximus, vt Schoepflini, quem ob praeclaram eruditionem magni aestimamus, laudibus optimis artibus partis, quibusque, vt par est, fauemus ex animo, quidquam detrahamus, sed, quia virum praestantissimum ipsum non credimus sibi perfectum, qualis hic appellatur, oratorem videri. Interim excerpemus breuem historiam, cuius fides sit penes auctorem. Posteaquam Vir Cl. narrauit, Imperatorem Carolum VI. suam imaginem, eamque (quod pulcherrimum est,) adamante ornatam Schoepflino donasse, addit: " Schwarzius, Professor Altorfinus, hoc audito, quod saepius imperatorem laudasset publice, nullo insigni honoris et clementiae documento ornatus, mirum quantum commotus, largiendo et precando Viennae non prius destitit, donec imaginem imperatoriam cum catena aurea" (neque aurum contemnendum esse multi sapientes credidere) "accepit, qua postea gloriatus, hominibus huius rei et ambitionis ignaris opinionem attulit, se apud Caesa-

Caesarem propter eloquentiam crebrasque laudationes magna valere auctoritate." Facili opera sat copiosum indicem virorum doctorum contexere potuisset Vir Cl. qui, quae in aulis emendicarunt, deinde non sine fastu omnibus ostendere solent: quorum nuper princeps erat, qui in aulis Germaniae non paucis stipem collegerat, Gottschedius.

V. *Io. Christianus Wernsdorf*, eloquentiae Professor in Academia Helmstadiensi, cuius eruditionem merito laudat, licet de poetica viri docti facultate paullo aliter sentiam. Lubenter vero iis, quae sequuntur, assentior. "Naturam et regulas verae ac speciosae eloquentiae bene novit, eiusque virtutes in scribendo eleganter refert, id quod vel ex panegyricis et prolusione de vestigiis rhetorices in poetis veteris Latii satyricis cognoscere possumus. — Difficiliora loca facile interpretatur, et dum desperatis aut male intellectis locis medelam adfert, non secat uritque, sed omnia ante circumspicit, unde auxilii et remedii aliquid petere possit. — patet etiam, eum esse omnis antiquitatis et historiae peritissimum, iisque, quae ex nummis et inscriptionibus veterum co-

gnosci

gnosci et illustrari queant, ingeniose et perite vti."

VI. *Ioannes Gramm*, linguae Graecae in Academia Hafniensi professor: historiae Danicae peritus, complurimum, sed minorum, libellorum auctor, ideoque hodie non vbique notus. Vir officiosus et humanus cum plerisque suae aetatis hominibus doctis amicitiam, litteris accipiendis mittendisque, excoluit.

VII. *Iacobus Fridericus Heusinger*, scholae Guelpherbytanae Rector: cuius de laudibus quanquam multa dicuntur, nil tamen, quod non illius eruditio et disciplina postulet, dicitur. "Bonus est, inquit Vir Cl. Grammaticus, egregius et sobrius Criticus, praesertim Graecis in interpretandis reliquis multum praestitit. Atque, ni fallor, maior litterarum Graecarum quam Latinarum in eo est intelligentia: nec dubito adfirmare, paucos in Germania esse, qui tanta et tam accurata valeant litterarum Graecarum peritia, quantam in Heusingero esse videmus." Nos ex animo optamus, vt pluribus Germaniae scholis magistri, Heusingeriana doctrina conspicui, praesint, veterumque litterarum cum amore animis in-

 venum-

venum instillent, tum studium iuuent ornentque.

VIII.

Iacobi Bruckeri, Reg. Societ. Scient. Berolin. Membri, Historiae Criticae Philosophiae appendix, accessiones, obseruationes, emendationes, illustrationes atque supplementa exhibens. Operis integri volumen sextum.

Lipsiae, impens. haered. Weidemanni et Reichii, 1767. Alph. 5. plagg. 18. 4.

Si ea tantum Philosophiae historia, quae annales ingenii humani, veritatis, virtutis, immo generis humani salutis atque felicitatis, hoc modo stabilitae auctaeque, continet, hoc nomine digna censenda est, non licet Bruckeriano operi hunc titulum imponere. Collegit vir doctissimus incredibili diligentia, quae ad vitas, sententias, controuersias Philosophorum pertinerent, quamplurima: quaecunque ex antiquis scriptoribus aliquam huic historiae lucem

affun-

affundere possent, excerpsit, nec recentiores auctores praeteriit: iudicauit de multis acute et recte: non pauca antesubobscura egregie explicuit: vno verbo, monimentum constituit eruditionis et diligentiae praestantissimum, et cum auctori ipsi, tum vniuersae Germaniae honorificum. Neque tamen satisfecit, credo, illorum studiis, qui ea, qua dixi, ratione Philosophiae historiam exponi cupiunt, iidem laudabunt quidem auctorem, etiam indefessum studium admirabuntur, sed optabunt quoque, vt vir quidam ingeniosus et acutus manus adhibeat huic laboriose congestae materiae disponendae et collocandae, fundamentisque a *Bruckero* probe iactis superstruat pulcherrimum opus, cuius auctorem non minus Philosophum, quam historicum fuisse, nec doctrina maiori, quam ingenii acumine, atque etiam scribendi elegantia valuisse, omnem posteritatem iudicaturam esse existimamus.

Omnia certe parauit Vir Cl. collegit, palam proposuit, quae eiusmodi operi inseruire possunt, sibique hoc munere omnes Philosophiae studiosos dudum obstrinxit. Nec relanguisse senis

venerabilis animum, clare ostendit hoc, quod reliquis addidit, nouum volumen. Alia in eo copiosius explicita esse videmus: alia accuratius examinasse obseruamus auctorem, veritati inueniendae vnice intentum: nonnulla quoque emendasse illum atque mutasse animaduertimus. Sed praestat ipsum Virum Cl. de suo consilio loquentem audire. "Totum, inquit, opus, licet vastum, accurate relegimus et recognouimus, ad omnia attenti, quae vel emendationem postulare, vel rectius definiri atque explicari posse videbantur. Vnde factum, vt re probe pensitata, et ad historiae leges atque fidem iterum exacta quaedam refingenda, multa certius demonstranda, plurimis noua et clariora lumina accendenda, breuiora latius extendenda, obscura illustranda, dubia explicanda, maxime vero systematum explicationes, (quod inprimis philosophia barbara poscebat) clarioribus rationibus confirmandae, obiectiones virorum doctorum soluendae, et refellendae, nouis autem rationibus complura roboranda; nonnulla, quae in priori editione memoriam nostram effugerant, vel post eam nobis

„inno-

„innotuerant; addenda et supplenda
„viderentur."

Plurimum studii posuit Vir Cl. in explicandis opinionibus Philosophorum, praesertim eorum, qui scholas discipulisque nomen dederunt. Singulas, vt exempla addamus, partes commemorat Philosophiae Hippocraticae, ex Pythagoricorum sententia ab auctore libri de diaeta traditae (p. 324 - 330.) Dissentit vero valde a Gesnero, Lewenhoekianam sententiam iam veteribus cognitam fuisse, inde ostendere conato, virumque doctissimum Hippocrati, si modo is auctor libri est, ea tribuisse dicit, quae illi nunquam in mentem venerint. Eadem diligentia recenset Caesalpini sententias (p. 722 - 726.) copiamque facit lectoribus eas cum Taurellianis accusationibus comparandi. Ipsam quoque Taurelli doctrinam cognoscere cupienti satisfaciet Bruckeriana diligentia (p. 736 - 739.) Dedit eadem indicem Paracelsicorum somniorum, quibus nil inest, quod iuuet et delectet, (p. 782 - 784.) tenebris Cimmeriis magna illa sapientia sepulta: Poireti doctrinam, e pio, ni fallor, animo ortam, quasi in tabula proposuit (p. 790 - 792.) obscu-

ras Thomae Angli (p. 831 - 835.) ignotasque plerisque conclusiunculas, Christiani Thomasii de iure naturae sententias (p. 862 - 866.) aliaque repetiit, et claris verbis tradidit. Qua quidem sententiarum accurata commemoratione rem gratam fecit omnibus, quibus aut otium deest, cuiusque Philosophi doctrinam examinandi, aut librorum, qui eam complectuntur, non copia est.

Sed egit etiam Vir Cl. alia, addiditque corollaria liberalissima manu. Praeterimus ea, quae scripsit de libris igne consumtis, (p. 7 - 10.) simulque multis historiae monimentis exstinctis, quaeque de cultu Mithriaco copiose disputavit: (p. 76 - 80.) nec dicimus quidquam de iis, quae contra Gerdilium protulit, (p. 267 - 270.) Porphyrii et Iamblichii fidem in enarranda Philosophiae Pythagoricae indole tuentem, aut quae contra Moshemium monuit de secta et religione Celsi. (p. 395 - 398.) Longam invenimus disputationem de philosophia Orientali, (p. 402 - 416.) id est, de theologica et mystica doctrina, quam inter Orientis populos Christi nati temporibus viguisse, quidam arbitrantur, in his Moshemius. Immo

propo-

proposita est in hoc volumine docta de Caulacau Basilidianorum dissertatio; (p. 507 - 530.) qua omnis disciplina Gnosticorum orientalis illustratur. Porro copiose defendit VirCl. suum de philosophia scholastica iudicium contra Frisingensem nescio quem, non aequo animo passum, istum gregem contemni. (p. 611-629.) Equidem non credo, eiusmodi homines dignos esse, quibus respondeamus, aut quos serio refutemus. Non potest Frisingensis iste conuiciator saeuius puniri, quam si, opinione praeclara de scholasticorum elegantia animo infixa, nunquam is a lectione illorum Philosophorum recedat. Nonne vero miremur, esse homines, qui causae pessimae defensionem suscipiant? Coniicere hinc licet, quam parum litteris cultae politaeque sint quaedam Germaniae prouinciae. Sed mittamus istos, quibus omnes deos Gratiasque iratos esse apparet. Attamen Vir Cl. iterum cum isto sacrificulo rem habet, (p. 633 - 672.) quemque irridere tantum debebat, multis argumentis refutare studet. Docet enim, se de Gregorio M. ita iudicasse, vt veritas postulet, neque reprehendisse in illo quidquam, quod non fide dignissimorum

 rum

rum scriptorum testimoniis nititur. Mihi vero Vir Cl. eo rem perduxisse videtur, vt omnes, qui non pertinaci studio teneantur, illi assensuros esse sperem.

Denique de vita, fatis scriptisque Christ. Wolfii accuratissime egit, (p. 878-902.) Vir Cl. scriptoribus vbique laudatis, nec vlla re maioris momenti omissa. Vbi sunt, fateor, nonnulla, de quibus aliter sentio, inprimis de initiis caussisque controuersiarum Wolfianarum ea me puto comperisse, immo suo tempore spero prolaturum me esse, quae ipsum Wolfium inimicitiarum semina sparsisse, incendia aluisse, doceant. Verum non capiunt huius libelli angustiae hanc narrationem. Quare miremur potius, quomodo factum sit, vt inter inimicos Wolfii omissus sit is, qui sibi capitalis scholae Wolfianae hostis esse videtur, quique comes sociusque addi debebat, *Oettingero*, (p. 12. et 461.) somniatori mirifico, quem nuper ad Abbatis honores munusque euectum fuisse, gaudebunt omnes, qui aegrorum somniis oblectantur. Hercle! non praetereundum erat a *Bruckero*, nostro nomen viri, qui eo facilius nos mi-

sellos

sellos Wolfianos debellare potuit, quo certius e Iohanneis vaticiniis omnia didicit,

Quae sint, quae fuerint, quae mox ventura trahantur,

quoque maiorem et coelestium rerum et inferorum scientiam sibi comparauit: quam maioribus laudibus prosequeremur, nisi nefas esset, nos, nec initiatos his mysteriis, nec, quia Graecos et Latinos scriptores legimus, olim beatos futuros, de his rebus loqui. Sacro silentio igitur hanc philosophiam, e tertio coelo petitam, veneremur.

In tali opere non possunt non multa occurrere, quae non omnibus placeant. Neque nobis omnes viri docti sententiae probantur. Non raro quibusdam auctoribus plus tribuere videtur, quam par esse iudico. Addamne exempla quaedam? Burc. Gotth. Struuii, quem quomodo τὸν πάνυ appellare potuerit, non intelligo, (p. 598.) Bibliothecam philosophicam, non iis laudibus dignam esse arbitror, quibus eam Vir Cl. ornat. Omnes profecto Struuiani libri non tam ingenii acumen iudiciique subtilitatem, quam in colligendo compilando-

que magnam diligentiam ostenderint. Nec Baumgartenii, nec Schuberti auctoritati tantum ego tribuo, si de interpretatione veterum scriptorum, de historia, agitur, quantum Noster censuit. Magni theologi fuerint: non inuideo: plurima scripserint: quis negat? Multa volumina complectatur illud de vniversi orbis historia Baumgartenianum opus, vidi. Sed frustra a me postulatur, vt ideo multa, quibus illa historia scatet, peccata defendam, aut in illius verba iurem, quem Graecarum Latinarumque litterarum non sat magna scientia valuisse, saepiusque e riuulis, quam e fontibus hausisse obseruaui. Contra non *insanire* dixissem illum, qui Ciceronis de officiis libros *praestare* dixerat *omnibus libris moralibus theologorum* (p. 346.). Erat illo tempore non admodum insulsa aut falsa haec oratio. Posthac etiam quot Theologi doctrinam morum ita tradiderunt, vt, si scribendi genus spectes, eorum libros Ciceronianis comparare audeas? —

Inuidendis laudibus celebratur Gottschedii de vita Wolfii commentarius, (p. 887.) quem doctissimi patriae nostrae Critici tanquam ineptum reiecerunt.

runt. Fateor multa Gottſchedium, quae vitam Wolfii illuſtrent, ibi proferre. ſed quae laus eſt, accepta ab aliquo typographo tradere? Illas vero virtutes, quae in vitis doctorum virorum deſcribendis ſpectantur, plane deſideramus, niſi quis attentum hiſtorici noſtri animum admirari velit, qui magno capite praeditum fuiſſe, cum in lucem ederetur, Wolfium operae pretium cenſuit poſteris nobisque narrare. —

Nec puto *inclementer* et *inimice* Wolfium Buddei famam aggreſſum eſſe. (p. 872.) Cur enim Buddeus iudicia de rebus ferre auſus eſt, quarum admodum mediocrem ſcientiam in illo fuiſſe norunt omnes? Wolfius vero, prouocatus a Buddeo, tum iracundia, vt ſolebat, elatus durius cum viro agebat, a quo ſe offenſum eſſe iudicabat. — Iacobi Thomaſii eruditionem, quae, quantum e ſcriptis illius iudicare licet, nec ampla fuit, nec elegans, Ariſtotelicaque ſubtilitate in rebus metaphyſicis contenta, verum philoſophiae fructum neglexit, magnifice praedicari miror. (p. 743.) Contra Scioppio iniuriam fieri puto. (p. 763.) Non futilis ille fuit Grammaticus; aut ieiunus ſyllaba-

rum

num aucept. Plurimae in eo insunt litterae. Tam eleganter, tam accurate de sermonis vitiis et bene scribendi facultate iudicat, vt eum et a natura ingenium acutum accepisse, et litteris illud poluisse appareat. Nec mordacitatis criticae exempla semper vellem a Scioppio repeterent viri docti, quorum in numero Bruckerus quoque est. Nunquam tam atrocem in quemquam impetum fecit Scioppius, quam ipse ab Heinsio et Baudio expertus est, quorum Iambis quid potest vehementius cogitari? Si multos suae aetatis viros doctos vituperauit, cogitandum est, multos quoque vituperationibus materiem occasionemque praebuisse. Si quosdam durius perstrinxit, certe non mitius cum eo egerunt iidem, aut ipsi, aut per alios. Nullum potest esse conuicium tam foedum, tam turpe, quod non in Scioppium fuderint alii, quorum si scripta cum Scioppianis comparare velis, nae ille rusticus et agrestis Scioppius humanus tibi videbitur. Quomodo vero acciderit, quaeris, vt Scioppii nomen tantam quasi infamiam contraxerit? Irriserat ille Scaligerorum sermones perpetuos gloriarumque plenos de suis ma-

ioribus

ioribus Veronensibus; quos si habuerunt, cur auos et proauos et nomen inutile iactarant? si commentitii sunt, cur non risu digni erant? Habebant vero illi Scaligeri, Iosephus inprimis, admiratores suarum rerum summos, (eminuit enim in iis multiplex doctrinae et ingenii flos) amicosque ingeniosos et ad deos suos defendendos paratos. Hinc quasi signo dato omnes concurrere: clamare: Scioppium accusare, conviciis proscindere, versibus acerbissimis insectari. Vnde factum est, vt, re non satis examinata, ii inprimis, qui patrum memoria historiam literariam traderent, nec Scioppii, formidolosi et inimici omnibus malis scriptoribus auctoris, libros attingerent, (plerique enim titulos tantum librorum nosse gestiebant) accusationes iniquas reponerent et dissiminarent. Quosdam etiam liuor stimulabat. Florebat enim Scioppius quorundam potentiorum gratia. Haec pro Scioppio dicta sunto, quibus alio tempore forte plura addemus. Ex ipsis vero libris virorum doctorum ingenia cognoscere par est: non ex aliorum iudiciis, aut, quod incertissimum, ex inimicorum accusationibus. Quare non

 possum

possum non mirari; *Brukerum* tantum tribuere imaginibus ab Imperiali exhibitis, vt de animi quoque indole ex iis coniecturam facere audeat. Certe in facie Cremonini *Aristotelеum aliquid* sibi obseruasse videtur; (p. 727.) quod, quale sit, nescio, nec cupio scire. Quis enim non *Phyllideum*, aut *Corinneum* aliquid aut *Sapphicum* videre malit, quam *Aristotelеum* aliquid, quod ego Frisingensi monacho, pro calida scholasticorum defensione, videndum, amandum, exosculandum relinquo. — Sed nolo longior esse. Obelo tamen aliquot chartas notaui, vbi inter legendum dissensus iustas causas habere putabam. Non sat Iouem Homericum nosse videtur Vir Cl. (p. 211.) nec de signis Zodiaci (p. 56.) et de fontibus philosophiae fabularis apud Graecos (p. 261.) quae dicit, sat idoneis argumentis confirmata esse puto. Verum haec aliis examinanda relinquo.

IX.

IX.

Fried. Sam. de Schmidt, Domini in Roſſan, Ser. Princ. March. Bada-Durlacenſis Conſil. Legat. intimi. — Diſſertatio de ſacerdotibus et ſacrificiis Aegyptiorum, quam Illuſtriſſ. Acad. Reg. Inſcr. et Lib. Artium Lutetiae Pariſ. praemio dignam iudicavit A. MDCCLXIV.

Tubingae, ap. I. G. Cottam, 1768. pagg. 324. 8.

Magno, ni fallor, *Cayluſio* ſuaſore Academia Pariſina ante aliquot annos ad rem Aegyptiorum ſacram explicandam viros doctos inuitauerat. Inprimis vero ab iis edoceri volebat, quae fuerint ſacerdotum claſſes, quae inſignia, quae munera et officia, quae natura ſacrificiorum, quae diis oblata fuerint ab iisdem. Egregie haec omnia explicuit et luculenter Vir illuſtris, cuius eruditione iam plura antiquitatis Aegyptiacae capita illuſtrata fuiſſe conſtat. Vix enim alius in antiquitate huius populi cognoſcenda maiorem feliciorémque operam poſuit.

posuit. Obscurissimis rebus ex insigni, qua pollet, litterarum varietate, plurimam lucem affudit, auctorumque veterum narrationibus apte inter se comparatis ea inde elicuit, quae ad hoc argumentum pertinerent. Praecipue vsus est antiquis Aegyptiorum monimentis, atque voluntati exspectationique Academiae, quae, qualia insignia isti sacerdotes in monimentis praeferrent, scire cupiit, mirifice satisfecit. Qua in re profuit Viro docto eiusdem *Caylusii* eruditio, cui tot Aegyptiaca monimenta, tot ingeniosas eorum interpretationes debemus.

Non possunt omnia, quae Cl. Auctor exposuit, a nobis indicari. Certa igitur ad capita redigamus ea, argumentum cuiusque commemoraturi. Ipsi libro praemissa est breuis disputatio de argumenti huius dignitate.

Primo vero capite de sacerdotum agit apud Aegyptios peculiari tribu, multa iura possidente certisque e familiis constante: de reditibus eorum: de insignibus, omnibus sacerdotibus communibus. Huc referuntur rasum caput corpusque, varia capitis regumenta, varius corporis habitus; vbi describit materiam et colorem

lorem vestium, formam, discrimina. Sequuntur torques armillaeque, inprimis imago iustitiae, summo iudici appensa, calcei. Tum nonnulla alia insignia attinguntur, crux ansata, et catenulae, quas sacerdotes tenent manibus, baculus recurvus, alia.

In secundo capite de vita sancta, lotionibus atque purgationibus religiosis Aegyptiorum sacerdotum: de sacra Aegyptiorum sacerdotum scriptura, linguaque, et de arcanis illorum traditionibus sententiam suam dicit. Linguam autem sacram Aegyptiorum sacerdotum non ex alio vetustiore, vt quidam putant, et ex diuerso sermone verba sua sumsisse existimat, sed vocabulis Aegyptiis res improprie, et eo nomine, quod in sacris habuere, non ex vsu vulgari, appellasse. Sacerdotes enim, arrogantes callidosque homines, operam dedisse, vt per impropriam scripturam, per linguam allegoriis plenam, per mille obscuras figuras et aenigmata, res, sibi solis cognitas, occultarent plebemque celarent. Nec quae e Plutarcho et aliis adfert, dubitare nos sinunt de huius sententiae veritate. Porro commemorat auctoritatem et officia sacerdotum in re ciuili, quaestionemque attingit, an fe- p. 56-103.

minis in antiquo Aegypti sacerdotio locus aliquis concessus fuerit, quam Caylusium quoque examinasse supra diximus. E monumentis apparere dicit, etiam feminas sacerdotalia quaedam peregisse officia; non maiora quidem illa altioraque, quae summam eruditionem reconditasque litteras postularent, sed exiliora leuioraque. Mox quaerit, an in Aegypto omni tempore soli sacerdotes fuerint circumcisi? id quod negat, et frustra alios aliter sentire ostendit.

p. 104. Tertio capite complectitur ea, quae ad varios ordines classesque sacerdotum pertinent; primum de sacerdotibus superioris ordinis agit, de prophetis, ubi artis magicae primordia tangit, de stolista, seu hierostolista, de sacris scribis, de Horoscopis, qui nouam Auctori occasionem praebent disputandi de Astronomiae Astrologiaeque studiis in Aegypto, de sacris cantoribus, quorum de instrumentis musicis loquitur, de σφραγιστῶν, victimas, antequam diis offerrentur, examinantibus, sigillumque iis imprimentibus, quae ad sacrificia aptae erant. Quorum quidem sacerdotum dat plenissimam descriptionem insignibus cuiusque et muneribus enarratis. Prae-

ter

ter alia etiam ostendit, sacerdotes Aegyptios curam gessisse sacrorum animalium ac saepius illorum insignibus fuisse ornatos, id est, capita et pelles in pompis gestasse. Vbi nobis memorabilis videtur Viri doctissimi coniectura de Memnonia statua, "Si hanc sta- p. 178.
tuam contemplor, inquit, nullo ornatam insigni, quam illo capitis tegumento, quod sacerdotibus solenne est: si manus eius intueor, sacrorum ministrorum more modeste et decenter genubus impositas: si cogito, illam quouis mane solem salutasse, si oracula ab ea edita considero, quae omnia sacerdotibus Aegyptiorum conueniunt, in eam fere delabor sententiam, obscurissimam hanc statuam fore nobis antiquum Aegyptium sacerdotem repraesentare, diuinitus, vt fingebant, inflatum."

Sequuntur sacerdotes inferioris ordi- p. 193.
nis: Pastophori, Melanephori, Comastae, Neocori et Zacori: de quibus omnibus non minus accurate agit.

Tandem progreditur ad sacrificia Ae- p. 226.
gyptiorum, primum inanimata, ad quae pertinent: gramen, legumina, panes, imprimis ex hordeo cocti, libamina, primum simplicissima, aqua, postea oleis,

 melle,

melle, vino facta. Tum commemorat tempora, quibus ſacrificia frugibus offerebantur, ſolemnia, ſummam eorum antiquitatem, ritus, quibus offerebantur, ſuffimenta iis addita. Deinde duas ſacrificiorum claſſes conſtituit: ad primam refert ordinaria ſacrificia, e variis generibus animalium deſumta, id eſt, porcos, boues et vitulos rufos, aſinos, oryges, anſeres, interdum etiam piſces; quibus antiquiſſimis temporibus rufos homines additos fuiſſe, quidam veteres memoriae prodiderunt: in extraordinariis mactabantur ſacra animalia. Mirum videri poteſt, ſacra animalia caeſa fuiſſe ab iisdem, qui ea coluerint. Inde Vir Cl. coniicit, Aegyptios beneficis diis ſacrificaſſe animalia malignis geniis conſecrata, atque ita ſe illos ſibi propitios reddituros eſſe ſperaſſe; ſed magna calamitate preſſos, deos cuſtodes praeſidesque ſuos reliquiſſe, eosque placare ſtuduiſſe, quibus has clades tribuebant, quosque victores cenſebant. Quae quidem auctoris opinio, licet non confirmari omnino videatur allatis ab Auctore veterum locis, ingenioſa tamen eſt. Quare, vt eo facilius de ea iudicare poſſint viri eruditi, repetemus to-

tam

tam Viri Cl. disputationem. "Nostra, inquit, sententia sacrificia Aegyptiorum constabant ex animalibus odiosis, quae, vt totidem infesti Typhonis ac sociorum illius imagines, spectabantur, sacerdotesque existimabant, se ista iugulando malignos genios plectere ac contumeliis et suppliciis adficere: putabant porro, se hac ratione numina sua, nefandis his daemonibus contraria, venerari, placare, gratiamque apud illos inire posse. Quotiescunque autem accidebat, vt ob perpetua illa bella, quae secundum Aegyptios locum habebant inter numina, quorum alia benefica vulgo, vt potentiora, culta, maleficaque alia, vt debiliora, plerumque neglecta, calamitates obuenirent magnae, regionis istius incolae, vt sunt mobiles ad superstitionem semel perculsae mentes, pro tempore deserentes pristina cara sua numina conuertebant sese ad nocentes genios, neque amplius inuisa animalia, sed iam sacra illa, quae colebantur, contumeliose tractabant mactabantque. Priora sacrificia erant ordinaria, frequentiaque: posteriora extraordinaria, ἀποτροπαῖα, auerruncandis cladibus instituta, non certis ratisque temporibus, sed rarissime aduersis calamitosisque diebus."

X.

LIBRORVM CENSVRAE MINORES.

I.

Joan. Georgii Styrzelii, Augustani Vind. Rotenburgi ad Tuberim Consulis Primarii, Philologi et Poetae eximii, Epistolae quaedam selectae, ad Christoph. Hoefflichium, Reip. Norimb. Synd. et Nic. Rittershusium, Iureconsultum Altdorfin. quas cum notis et vita Auctoris et adiectis duabus orationibus Conr. Rittershusii de legibus ex autographis edidit Ge. Theodor. Strobelius. Norimberg. imp. Baueri, 1758. plagg. 8. 8.

Natus fuit Styrzelius Augustae Vindelicorum a. 1591. Liberalium ille artium studiis deditus variisque in Academiis commoratus, tandem concessit Rotenburgum, vrbem imperii in Franconia ad Tubarim sitam, multis ibi honoribus ornatus, muneribusque, pro civitatis istius conditione, magnis, functus. Scripsit carmina non pauca, e quibus, licet nec eleganter scribendi

maxi-

maxima facultas; nec ingenii poetici summa vis, summus tamen litterarum amor elucet. Ad multos quoque eo tempore claros viros litteras misit, quarum e magno numero edidit Strobelius viginti: nam tot complectitur hic libellus. Iis perlectis nil me inuenire memini, quod historiam siue istorum temporum, siue litterarum illustraret. Immo ne scribendi quidem genus tale est, quod lectionem harum epistolarum valde iucundam reddat. Quare si plurium euulgandarum consilium capturus sit forte Editor, eas tantum eliget, quae argumenti grauitate se commendent.

II. *Clauis poetarum classicorum: pars prior: siue Index Philologico-Criticus in Horatium, Terentium, et Phaedrum, minori forma in orphanotropheo Halensi impressos. Auctore Gottlob Benedicto Schirach.* Halae, sumtu Orphanotrophei, pagg. 396. 8. Licet hic liber tantum accessio earum editionum, quae in fronte illius indicantur, esse videatur, multo tamen longius patet eius vsus. Complura enim continet, quae poetarum lectores atque interpretes iuvabunt, eos imprimis, qui, vt ipse Vir.

Cl. dicit, non perducti plane in arte philologica ad id, quod summum est, aut per rei familiaris modum non possint, aut per vitae alias antiquiores occupationes nolint coemere atque perlegere omnes horum auctorum interpretes, editiones, optimaque ad eos percipiendos pretiosiora praesidia. Collegit igitur e virorum doctorum commentariis, quae bene ab iis tradita esse animaduertit, suisque ea obseruationibus auxit. In his non solum de recta locorum lectione sententiam dixit saepius, immo quaedam, coniecturis non improbabilibus, emendare conatus est, sed formare quoque atque acuere interdum studuit ingenium lectorum, iuniorum praesertim, ideoque de arte poetica nonnulla adspersit, nec iniucunda ea iis, qui longius in his litteris progressi sint. Nam horum quoque studiis inseruiit, repetitis ex interioribus litteris explicitisque quibusdam capitibus: inter quae placent inprimis, quae de vrbanitate Horatii dicta sunt. (p. 385. sequ.) Diligentiam vero Virum Cl. magnam toto in negotio adhibuisse, atque Graecarum Latinarumque litterarum scientiae nec vanae, nec exiguae,

clara

clara specimina in hoc libro dedisse, facile possemus multis exemplis ostendere. Sed ea obseruabit quisque, licet non moniitus a nobis.

III. *De Darete Phrygio Exercitatio:* auctore *Io. Georgio Eccio*, Art. Mag. Lips. 1768. pagg. 21. 4.

IV. *De Augerio Gislenio Busbequio* Dissertatio: auctore eodem: pagg. 23. 4. ibid. In illo libello Vir Cl. docet, fuisse olim in Phrygia, belli Troiani temporibus, Daretem quendam: sed; si vel concedamus, eum scripsisse historiam belli Troiani, tamen non illam tulisse aetatem, eamque, quae hoc nomine hodie circumferatur, esse illius in locum suppositam: turpi autem errore illam a quibusdam tribui Cornelio Nepoti: id est, venustissimo auctori barbarum, nec raro ineptum libellum: potius Iosephum Iscanum, qui carmen de bello Troiano composuit, huius quoque libri auctorem videri: in hoc de vita, muneribus, scriptis, moribus viri agit, cum ob ingenii et eruditionis praestantiam, tum ob honorum legationumque, quibus maxima cum laude functus

 est,

est, amplitudinem immortale nomen consecuti. Vtrumque vero libellum ab auctore erudito, ingenioso, docto, atque etiam in scribendi bene et eleganter facultate exercitato profectum fuisse, omnes, qui de illis virtutibus recte iudicare valeant, nobiscum profitebuntur.

V. Commentatio breuis, qua in Paesti, antiquissimae Lucaniae ciuitatis, origines et vicissitudines inquiritur, auctore Ioanne Crosse, Anglo. Halae Magdeb. litteris I. C. Hendel, 1768. pagg. 35. Antiquae Posidoniae, siue Paesti, monimenta diu iacuerunt sepulta tenebris et obliuione, ab ipsis Italis forte ob locorum difficilem situm neglecta: anno demum 1755. iterum eruta atque cognita: inprimis vero celebrata ab Anglis et considerata. Quorum laudabile exemplum secutus *Crossius* noster, omnibus, quae generosum Anglorum animum ornant, quarum non vltima est egregia litterarum antiquarum scientia, virtutibus conspicuus, eundem locum adiit, monimentaque ibi reperta curiosius examinauit. Immo ad illustrandas Posidoniae origines historiamque collegit, quae de vrbis fatis memoriae prodita

fuit, eaque docte et diligenter hoc in libello exposuit. Primum docet, Posidoniam fuisse Graecorum coloniam, conditores et auctores vrbis Troezenios: originem circiter Olymp. XVIII. assignandam esse. Tum antiquam Paesti historiam attingit: quomodo vrbs in Lucanorum potestatem venerit, narrat, fataque illius sub Lucanis commemorat. Deinde progreditur ad ea tempora, quibus Romanorum colonia facta est Posidonia, nomenque priscum amisit, refutatis iis, qui Picentinorum coloniam Paestum ductam esse putant. Denique quae de Paestanorum rebus, tempore belli Punici secundi, post Hanibalis discessum, in bello sociali, sub Imperatoribus, sub Herulis et Gothis, sub Longobardis prodita sunt, adfert: in Paesti excidio, a Saracenis profecto, desinit, recensitis Episcopis Paestanis antiquioribus posterioribusque. His adiungit descriptionem breuem Posidoniae, qualis hodie est, monimentorumque, quae ibi restant, antiquorum. Scientiam, certe non habuit Vir eruditus copiam pulcherrimorum aliquot, quorum nullam mentionem fecit, operum, quibus magnifice et luculenter Paesti situs,

facies,

facies, monimentis illustrantur. Nam a. 1750. Gallicus architectus *Soufflot*, tria, quae Paesti exstant, aedificia, delineauit, accurate omnia metatus: ipsas vero tabulas, tanquam partem clarissimi operis, quod plurium aedificiorum splendidas imagines complectitur, euulgauit *Dumontius* (*). Quae quidem tabulae elegantissima specie sua oculos eruditos valde delectant. Alterum opus (**) a claro artifice, *Philippo Morgheno*, Neapoli editum fuit, sine titulo. sed eo, quem infra scripsimus, titulo hae tabulae in Italia veneunt. Hoc et totius vrbis, et vnius portae antiquae et templorum faciem exhibet. Denique tertium opus

(*) Suite des Plans, Coupes, Profils, Eleuations, geometrales & perspectives de trois Temples antiques, tels qu' ils existoint en 1750. dans la Bourgade de Poesto &c. Ils ont été mesurés & dessinés par I. G. Sufflot, Architecte du Roy en 1750. & mis au jour par les soins de G. M. Dumont, en 1764. à Paris, chez le Sieur Dumont. Constat VII. foliis aere express.

(**) Sei Vedute delle Ruine de Pesto nel Regno di Napoli, con una Carta della Spiegazione di esse. Napoli, 1765. (folia VI. aere express.)

opus (*) etiam ob additum Commentarium laudem meretur. Breuiter enim Auctor addidit historiam Posidoniae, quae multa continet, a Cl. *Crossi* prolata, multa autem etiam habet, ab hoc omissa, quo inprimis pertinent illi tituli antiqui. Accurata quoque est ipsius urbis descriptio, tum eorum, quae restant, monimentorum: quorum formam bene *I. Millerus*, antiquis monimentis delineandis exercitatus, bene reddidit. His tribus ex operibus ruinas celeberrimae olim vrbis clare cognoscimus: historiam eiusdem et fata non nisi e *Crossi* libro discimus.

VI. Disputatio, quae Demadem et illi tributum Fragmentum orationis, venerabili parente, D. Ioanne Gotfrid Hauptmanno Directore, breuiter considerat Christ. Sigism. Guil. Hauptmann.

Gerae,

(*) The Ruins of Poestum or Posidonia, a City of magna Graecia in the Kingdom of Naples: containing a Description and Views of the remaining Antiquities, with the ancient and modern History, Inscriptions &c. And some Obseruations on the ancient Dorick Order. London, 1767. (fol. mai. pagg. XX. tab. aer. IV.)

Gerae, 1768. pagg. 30. Prior libelli pars pertinet ad Demadis genus, indolem, educationem, administrationem reipublicae, fata, atque eloquentiam; altera ad orationem ὑπὲρ δωδεκαετίας illius, quae fragmentum hodie superest, ubi quibus illud et Demadi vindicetur, et quibus idem suppositum esse ostendatur, argumenta explicantur, re ipsa in medio relicta. Denique fragmentum ipsum adiungitur, animadversionibus illustratum ab Auctore nostro, his documentis peritiae disciplinae praestantiam testatus.

VII. *Commentatio Prima de Medicis equestri dignitate ornatis.* Berolini, 1768. pagg. 164. 4. Ut in Actis *Academiae Naturae Curiosorum* proponeretur, hic libellus scriptus fuit; sed rem quoque gratam viris doctis fecit illius auctor, *Chr. Guil. Möhsen*, eruditus Berolinensium medicus, separatim eo edito, immo aucto corollariis variis, quae artium amorem singularemque studium, immo doctrinae copiosae elegantisque copiam ostendunt. Atque initium quidem libelli facit ingeniosus Auctor a Medicis equitibus apud Romanos, praecipue ab Antonio Musa, aliosque honores,

niores, Medicis interdum a Romanis habitos, attingit. Mox vero, recenſitis ordinibus equeſtribus, multos commemorat, qui cuiusque eorum inſignibus donati fuerunt, medicos. Atque etiam, qui aliis honoribus ornati, aut amplis muneribus functi ſunt, medica arte clariſſimorum virorum mentionem facit. Sed quoniam haec iam alibi leguntur, quidquam repetere nolumus. Interim non iniucunda lectu eſt tota haec diſputatio, multaque habet, quibus hiſtoria medicae artis litteraria illuſtratur. In capite XXVI. ad alia tranſit, eorumque opinionem refutare ſtudet, qui ſeptentrionalis coeli aſperitatem artium in illis terris incrementis aduerſari putant. Vbi laudamus Auctoris animum, patriae ſtudioſum: multaque eum docte et acute obſeruaſſe fatemur. Sed in vniuerſum nobis nimium eleuare videtur coeli aëris terraeque vim in formandis ingeniis hominum: quam tamen et exempla ipſa populorum oſtendunt, et, ſi diuerſum in diuerſis regionibus victum, tempeſtatem, compagemque corporum diverſam, omniumque harum rerum, quae in ingenio animoque hominum eminet, vim magnam, conſideramus, non negare licet.

licet. Contra hanc sententiam, quae dicit Vir Cl, ea iam aliis prolata, sed refutata quoque sunt a Dubosio (*). Sed non licet de his copiosius nunc disputare. Delectabunt profecto lectores, artium qui studio teneantur, ea, quae Noster dicit de statuis, regis nostri Museum ornantibus, inprimis de magno opere, quod Lycomedis familiam exhibet, quod contra Winckelmanni vituperationes defendit, de statuarum, licet mutilarum, pretio eximio, de statuis Aesculapii, Hygiaeae, Hippocratis, in iisdem museis exstantibus. Quae quidem omnia ostendunt, Apollineas artes omnes felici vinculo *Moehsium* nostrum coniunxisse.

(*) Reflex. sur la poesie & sur la peinture. P. II. c. 13. sequ.

ACTA LITTERARIA.

SCRIPSIT

CHRIST. ADOLPHVS KLOTZIVS

— *Librum, si malus est, nequeo laudare.*

IVVENAL.

VOLVMINIS V. PARS II.

ALTENBVRGI

EX OFFICINA RICHTERIA.

CIↃ IↃ CC LXVIIII.

ACTA

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

I.

Monumenti antichi inediti ſpiegati ed illuſtrati da Giovanni Winkelman, Prefetto delle Antichità di Roma. Vol. I. (pagg. 104.) Vol. II. (pagg. 368.)

Romae, excud. Marcus Pagliarini, 1767. fol. cum fig. aere excuſ. quam plurimis.

Aeternum hoc nominis *Winkelmanniani* monimentum non poſſumus non ſine ſummi doloris ſenſu intueri. Recurrit enim acerbiſſima animumque opprimit de morte viri praeclari luctuoſiſſima cogitatio. Verſantur ante oculos omnia illa bona, quae in *Winkelmanno*, dum noſter erat, amauimus, quae honorifica et glorioſa Germaniae cenſuimus, quibus doctrinae et et artium fines in dies magis proferri ſaepe laetati ſumus, eaque omnia amiſſa, erepta, extincta eſſe

lugemus. Non solum, quae ille praestiterit, egerit, scripserit, recordamur, sed percensemus etiam amplissimam rerum quas molitus est, quas ille solus efficere potuit, copiam, eadem, quae *Winkelmannum* abstulit, calamitate interceptam. Abiit omnis illa spes, posteaquam ex hominum conspectu pater noster abiit. Neque vero querelis et lamentationibus, nihil profuturis, indulgebimus. Immo in hoc ipso, quod paullo ante mortem miserrimam sibi posuit, monimento, *Winkelmannianum* nomen certissime omni, quae litteris honorem aliquem habebit, posteritati commendaturo, acquiescemus, et, vt euenire solet amantibus, si primum atrocissimi luctus impetum paullum mitigauit eiusque stimulos retudit temporis intercapedo quaedam, saepius illud intuiti lenimentum moeroris, immo consolabilem oblectationem inde colligemus.

Proposuit in hoc opere *Winkelmannus* monimenta antiqua CCVIII. aut, si quae variis in locis conspiciuntur, ornamenta, addas, CCXXIV. Nullum artium aut operum genus praeterit. Nam licet anaglyphorum numerus fere

maior

maior sit, multae tamen apparent gemmae quoque, quarum non paucas Museum Stoschianum praebuit, adsunt statuae, vasa, picturae. Quibus in edendis hanc rationem secutus est, vt, cum ea, quae aut numquam antea, aut minus recta a Boissardo, Bellorio, Montfauconio aliis euulgata essent, vnde maxima pars horum monimentorum nouitatis gratiam habet, nondum a quodam praeceptam, tum alia, quorum argumentum et difficilius esset, et falso explicitum a viris doctis videretur, eligeret, eorumque formam et imaginem, laminis aeneis inscriptam, proponeret. Neque neglexit alia, quorum contemplatione obscurioribus veterum auctorum locis lucem aliquem affundi putauit. Inprimis spectauit in his monimentis euulgandis ea, quae in *Archaeologia* de historia artium ingenioque artificum antiquorum disputauit, illorumque auctoritate sententias suas de varia variorum populorum temporumque ratione picturaeque linearis diuerso ingenio corroborare studuit. Hinc argumenta, quibus viri nuper doctissimi opiniones nituntur, hoc opere continentur: hinc mirifice artium historia iisdem illustratur, inprimis

 mis

nis Graecorum. nam vltimos quoque Graecae artis conatus conspicimus. Sed alios quoque apud populos artium quae fata, quae progressiones fuerint, e monimentis allatis discimus.

Omnia vero haec monimenta ad quatuor classes redegit: prima ea complectitur quae ad historiam deorum pertinent: altera illustrat mythologiam vt aiunt, historicam, id est, quae et ante bellum Troianum et post illud vsque ad Vlyssis in patriam reditum, acciderunt: tertia spectat ad Graecam et Romanam historiam: quarta ad varios ritus moresque antiquorum temporum.

Horum monimentorum priusquam copiam faceret lectoribus, monendos eos censuit disputationemque de pictura lineari antiquorum operi ipsi praefixit. (*Trattato preliminare dell' Arte del Disegno degli antichi popoli.*) Primum de origine picturae linearis, tum de ratione Aegyptiorum, Etruscorum et Graecorum, denique de pulchritudine agit, cum in vniuersum, tum singulorum corporis membrorum. Etruscos ostendit et Graecos artes non ex Aegypto arcessiuisse: quae artes ab ingenio, religione, imperio populorum colorem trahant,

docet:

docet: Aegyptiis illam, quam Charita appellant, venustatem omnino ignotam fuisse: Etruscorum artem et mythologiam e Graecia originem ducere: Etruscorum rationem primo fuisse ieiunam, deinde vehementem atque atrocem. Attingit alia quoque, quae antiquorum operum spectatorem intelligentem iuvant. Huc pertinent quae dicit de capillis Iouis et Apollinis, de antiquissima ratione Graecorum, de Laocoontis statua, cuius auctores putat felicissimis temporibus floruisse: de exstincto sub Septimio Seuero artium flore, de Medicea Venere. Vbi ob leuem in mento lacunam, φίλτρον, ni fallor, Graeci appellant, quam putat perfectae pulchritudinis notioni aduersari, coniicit, artificem certum ante oculos habuisse foeminae alicuius vultum, non conceptam animo perfectae, quae nusquam est, et diuinae formae imaginem reddidisse.

Omnia fere, quae in hac disputatione occurrunt, iam dicta fuisse in historia artium memini. Immo quaecunque ibi copiosius exposuit, hoc loco paucis complexus est. nec reprehendo hoc. Nam repetere ea poterat auctor in opere, Italorum studiis ingeniisque potissimum di-

 cato.

tato. Sed et addita alia, uti luculentius explicita esse, obseruauimus. Neque enim nuda antea dictorum repetitio in ingenii illam vbertatem, in eam doctrinae copiam, quae effloruit in *Winkelmanno*, cadit.

Noluimus indicem omnium monumentorum, quae *Winkelmannus* exhibuit, dare. Factum hoc esse vidimus etiam ab aliis, qui huius operis mentionem fecerunt. Praecipua tantum maximeque memorabilia, siue artium speciem historiam manuumque elegantiam, siue, quam antiquarum rerum scientiae praestant, operam, indicabimus.

Iam in *prima* parte animum alliciunt duae gemmae, in quibus Ioui alae datae sunt. (I. II.) aliaque, vbi Neptunus fulmen tenet. (III.) — In Anaglypho Etrusco, quod in Capitolio est, duodecim maiores dii conspiciuntur, (V.) inter quos Vulcanus iuuenili forma imberbisque apparet, tenens vtraque manu bipennem. — Duae gemmae ostendunt Iouem muscarium, ideoque speciem dei admodum memorabilem. (XII. XIII.) — Sequitur statua Iunonis, in hortis pontificiis posita, sedentis et infantem Herculem lactantis. (XIV.) —

Statua

Statua insignis Palladis, aegide armatae, id est, pelle qua pectus et tergum tegitur, antiquissimum est monimentum artis statuariae Graecorum. (XVII.) — Palladis Musicae, duas tibias tenentis, imaginem dat pictura antiqua in balneis Imperatoris Titi, a Bellorio delineata. (XVIII.) — Statua Nemesis vutea, sine alis eoque corporis habitu, quo in gemmis conspicitur saepe, in villa Albani est. (XXV.) — Duo Anaglypha Martem cum Venere a Vulcano deprehensum, numinumque coram Ioue accusationem exhibent. (XXVII. XXVIII.) — In fragmento sarcophagi Bellona, sub dextro brachio clypeum, sinistra hastam tenet. Saepe Victoriae simulacra tributa sunt Bellonae a viris doctis. (XXIX.) — Gemmae aliquot reconditi argumenti, Amoris et Psyches imaginibus insignitae, occasionem praebebunt viris acutis ingenii exercendi. (XXXII — XXXIV.) — Anaglyphum venuste elaboratum Midae iudicium Marsyaeque supplicium ostendit, praesentibus multis diis Musisque, pennas in capite gerentibus. (XLII.) — Gemma ostendit tragicam Melpomenen, clauam et personam gestantem, cinctamque gladio. (XLV.) — In anaglypho

 figlino

figlino Bacchus infans a Satyro mulie-reque Bacchante, saltante utroque gestatur in vanno: (LIII.) Unica superest Leucotheae statua in villa Albani: (LIV.) e diademate, (κρήδεμνον) quo caput cinctum, a *Winkelmanno* agnita. — Vas magnum marmoreum, labores Herculis exhibet, (LXIV.) licet non sit linearum ratio optime ab artifice observata. Eo melius curiosiusque elaboratum est opus tessellatum, ostendens Herculem, Hesionem a monstro marino liberantem. (LXVI.) Memorabilis quoque est Hercules Pistor; iuvenis, incurvato corpore, aliquid vasi imponit manibusque quasi terens, claua iacente prope dextrum pedem. Talem eum ostendit Scarabaeus in Museo Stoschiano. (LXX) — Ultimus locus datus est diis Aegyptiorum, quorum monimenta quaedam antiquissimam artium rationem monstrant. —

Altera pars complectitur pulcherrima monimenta, quorum interpretationem felicissimam Homerus offert. Comparandus est pater poetarum cum tot gemmis, quarum auctores easdem res, quas aeternis versibus ille cecinit, expresserunt. Semper obseruabimus fontes e Moeonio

Maeonio summos artifices hausisse, id est, non solum argumenta operum inde petiisse, sed etiam ingenium poetae et artem imitatos, eadem, qua ille, ratione, quantum vtriusque artis ingenium pateretur, illa reddidisse. Quam quidem rem, tot luculentis monimentis confirmatam, solus in dubium nuper vocavit, qui antiquarum rerum scientiam e taberna libraria bellissimi Sosiae, Berolinensis *Friderici Nicolai* hausit, omnium bipedum ingeniosissimus *Lessingius*. quem quidem acutulum doctorem ideo huic aetati donasse videntur Musae, vt exstaret exemplum veterum Sophistarum, nam contortis et aculeatis sophismatibus fallacibusque conclusiunculis quis illum superet? Quare nos pergamus.

Multa haec pars anaglypha, multas gemmas habet, varias ob caussas memorabiles. Ad artium historiam pertinet inprimis gemma Stoschiana (CV.) quinque e septem ante Thebas heroas exhibens. Est ea procul dubio omnium, quae exstant, antiquissima maximique ideo facienda. altera in gemma Theseus occisam Laiam contemplatur. (XCVII.) qua quidem gemma nil venustius cogitari potest: in tertia Tydeus vulneratus sa-

gittam-

gittamque extrahens apparet. (CVI.) Quae quidem tres gemmae iam operi eruditissimo addita fuerunt, quod artium historiam complectitur. Multo vero easdem nunc scitius elegantiusque artifex reddidit. — Tria quoque vasa figlina animum aduertunt: primum vas Theseum Pirithoumque punientes latronem Sinnin: alterum Theseum dextra ostentantem accepta ab adstante Ariadne fila: tertium Theseum eundem occidentem Minotaurum exhibet, humana forma, capite taurino conspicuum, qualis describitur Minotaurus ab Hygino et Apollodoro. (XCVIII — C.) —

Ex anaglyphis mentione dignum prae aliis videtur illud, quod fabulam minus notam, sed narratam ab Hygino (Fab. 187.) de agnita Alope captiua ab equo continet. (XCII.) item alterum, in quo Daedalus Pasiphaes iussu taurum contemplatur, a Neptuno exhibitum, vt inde exemplum vaccae ligneae petat. Daedalus sinistra serram tenet, dextra tauri os, quasi blandiens, tangit. Pasiphae velata apparet. (XCIII. XCIV.)

Ex monimentis, quae belli Troiani historiam illustrant, quid opus est quaedam

dam commemorare? Omnia, quae considerentur, digna sunt. nec enim vllum eorum est, quod non aut eleganti auctoris artificio, aut argumenti exquisita doctrina sese commendet. Quaedam summae antiquitatis commendationem prae se ferunt. In pictura antiqua Pallas purpureum diadema, potentiae signum, Paridi ostentat (CXIII.) Peleus capillos lauatus in gemma Etrusca, auctoris violentam et vehementiorem rationem spirante, apparet. (CXXV.) In venustissimo vase Thetis Achilli noua arma adfert: (CXXXI.) In patera Etrusca Mercurius dextra elata tenet libram; in lancibus duae imagines visuntur; adscripta verba Achillem et Hectorem indicant: Apolline adsidente, (CXXXIII.) vel me monente notissimos quisque Homeri et Virgilii versus recordabitur, qui huc pertinent. In gemma nauta tenet vtrem, vento plenum et ab Aeolo Vlyssi datum (CLVIII.) atque in anaglypho fictili reditus Vlyssis conspicitur. Euriclea nutrix, illum pedes lauantem agnoscit: Vlyssesque sedens Euricleae os comprimit: A tergore adstat pastor Cumaeus, iuxta dormit canis. (CLXI.) Quid potest hoc operè

similius

similius esse versibus Homericis, quibus eadem res commemoratur?

Progrediamur ad *tertiam* partem. Haec clarissimorum hominum effigies exhibet oculosque eorum tenebit, qui vultus illustrium virorum lubenter considerant. Ne omnino omnia silentio praetereamus, tantum pauca attingemus. Phrynon, Pittaci inimicus, reti implicitus in gemma visitur. (CLXVI.) Aeschylus sedens e patera bibit: supra aquila volitat, tenens testudinem, cuius lapsu poeta occisus fuit (CLVII.): Plato sedens librum legit: cuius in conspectu caput humanum, cui papilio insidet, in lapide iacet. (CLXX.) Eiusdem Platonis caput in gemma visitur, vt ex alis papilionis, auribus appositis coniicitur. (CLXIX.) Hisce ad doctrinam Philosophi de immortalitate animi respici, notum est.

Tandem ex *quarta* parte quaedam repetamus. Insunt illi multa, quibus illustrantur antiqui ritus, supellectilisque vetustae scientia adiuuatur.

Exstispex genu flexu contemplatur exta e bouis recumbentis resectique ventre prominentia, in anaglypho. (CLXXXIII.) Quae sequuntur pertinent

nent ad musicam, et ad artem scenicam. vbi placet animo nostro ingeniosa interpretatio gemmae antiquae, in qua larua conspicitur edera coronata, ape in ore sedente, et irrepere cupientis speciem habente. (CXCI.) qua quidem imagine Aristophanis vultum indicari conjicit acute Vir Cl. Haec excipiunt certamina, vbi retiarius in pauimento, galeatus, reti circumdatus, scutum longum et pugionem tenens nos aliquamdiu moratur; (CXCVII.) conuiuia, ludi circenses, equitatio. In gemma aliqua eques, iam iam a dextro latere equum conscensurus, hastam tenet, pedemque dextrum imponit prominenti e hasta furcae: (CCII.) vnde quomodo veteres [certe quomodo quidam veterum equitum] equos ascenderint, discimus. Vltimo loco collocata sunt monimenta architectonica, vbi nauis biremis in anaglypho (CCVII.) occasionem praebuit *Winkelmanno* rem veterum nauticam docte illustrandi.

Addidit enim huic operi commentarium luculentum et copiosum, quem licet immensam lectionis varietatem, insignem vtriusque sermonis scientiam, et beatam doctrinae antiquae vbique osten-

dere

dere ubertatem, eundem tamen nostrae exſpectationi non omnino ſatisfeciſſe addimus. Quis enim non a *Winkelmanno* inprimis exſpectabat iudicium de ingenio artificum, de linearum indole, de manuum elegantia? aut quis melius de his omnibus iudicare poterat, eo viro, qui tot monimentorum ſapienti contemplatione oculorum aciem quaſi exercuerat, ingeniique in ſpectandis operibus et pulchritudine ſentienda et iudicanda elegantiam optimis praeceptis et exemplis conformauerat? Sed eiusmodi disputationes fere fruſtra quaeſiuimus. Parciſſime attingitur ratio ea, quae artificio coniunctior eſt. mihi quidem videtur vir praeſtantiſſimus Italorum Studiis inſeruiiſſe, quibus copioſae eruditionis ſpeciem magis placere conſtat ingenioſa illa et amoena venuſtate. Quare omiſſis reliquis, quae ſenſum pulchri acuunt et alunt, primam et praecipuam curam poſuit in interpretatione argumenti monimentorum, quo in negotio duo ait ſe ſecutum fuiſſe. Primum arbitratur veteres artifices nunquam inanes ſpecies efformaſſe; ſemper eos certas perſonas, certas hiſtorias reſpexiſſe. Deinde dicit eosdem, ſi publica

publica monimenta, Imperatoribus dicata, et nummos exceperis, nunquam e vera hiſtoria argumenta operum ſumſiſſe: ſemper aliquam fabularum partem delibaſſe: plerumque Homerum, tanquam liberaliſſimum fabularum promum, iſtorum interpretationibus ſufficere. Haec duo ille ſemper ante oculos habuit, tanquam certa nec monimentorum veterum interpreti negligenda praecepta. vbi equidem fateor, me viro nuper doctiſſimo non aſſentiri. Nam quod ad veram hiſtoriam attinet, eam quoque argumenta praebuiſſe artificibus et alias oſtendimus, et nuper in libro, quem de gemmis ſcalptis ſcripſimus. Certe non poſſunt tot gemmae, omnia antiquarum manuum indicia praeferentes, tanquam recentiorum artificum opera reiici: praeſertim cum admodum probabile ſit, lubenter annulis ſuis incidenda curaſſe Romanos ea, quae ad maiorum gloriam pertinerent. Deinde ſi certas tantum hiſtorias artifices reſpexiſſe dicimus, aduerſatur profecto haec opinio ingenio artificum conſuetudinique, quam illi omni tempore tenuiſſe videntur. Nonne enim, id quod hodie fit, artifices affectus, motus, ge-

ſtus quosdam exprimere potuerunt, cum artis oſtendendae, tum exercendae cauſa? Certe hoc ex eo, quem Plinius dedit, clarorum operum indice apparet. Commemorat *canem ex aere, vulnus ſuum lambentem, duo pueros talis ludentes, diſtringentem et pullum talo arceſſentem, diſcobolon, clauaicantem, temulentam tibicinam, pueros duos diſtringentes, luctatorem anhelantem, puerum ſufflantem ignes*, et plurima alia monimenta. quae nullo alio conſilio, quam aut affectus cuiusdam exprimendi, aut, dum certum corporis habitum motumque redderent, ſummae artis oſtendendae cauſa, facta eſſe conſtat.

Denique quomodo licet eiusmodi ſapientiam, fabularumque ſcientiam tribuere artificibus iis, quorum opera indoctas manus produnt, ſiue totius operis diſpoſitionem, ſiue ſingulas partes ſpectes. Hanc eruditionem in opificem imperitum non magis credo antiquis temporibus cecidiſſe, quam illa hodie cadit. Immo nullo modo veriſimile mihi videtur, auctorem operis, inſcite et praue elaborati, ex Homeri carminibus argumentum petiiſſe aut reconditam aliquam hiſtoriae fabularis partem reſpe-

xiſſe.

xisse. Quare, licet fatear, his praeceptis multorum monimentorum interpretationem certiorem, immo priscis artificibus magis honorificam reddi videri, vbique tamen hanc rationem probandam esse non censeo. Atque etiam *Winkelmannianas* nonnullorum monimentorum interpretationes magis eruditionis, quam veritatis, commendationem habere, obseruaui, nec mihi certe persuasit Auctor opinionum quarundam argutias. Huc refero Monim. XXXIX. L. XIX. XX. XXXIII. LXVII. CVIII. CIX. CXX. CL. quem numerum facile augere possemus, si nunc hoc ageremus.

Monimentorum interpretationi doctissimas *Winkelmannus* addidit scriptorum antiquorum illustrationes. Immo quae in iis corrupta censuit, emendare studuit interdum, nescio an feliciter satis. Nam nec necessariam et vehementiorem locis, vt putat, corruptis medicinam adhibuit. Id quod tamen fere minus displicet aliis locis, vbi ad ipsam verborum quorundam Graecorum originem explicandam descendisse virum egregium inuiti animaduertimus. Procul dubio dedit hoc Italorum ingeniis; quibus hanc rationem placere audiuimus

diuimus, atque etiam libri, qui in Italia prodeunt, loquuntur. Hisce dum placere studuit, operosas Criticorum quorundam refutationes longioresque de rebus non maximi momenti disputationes operi intexuit, his quidem maculis interdum deformato, sed immortali tamen gloriae suo auctori futuro. Quare non opus est, vt aut nos quaedam indicemus, vbi errasse Virum optimum facile ostendi possit, in corrigendis praesertim Graecis scriptoribus, aut colligendae famae cuiusdam, hanc occasionem alii arripiant. Multa certe antiquarios nostros, quae notent, inuenturos esse, largior: illum vero antiquariorum principem, acutissimum *epistolarum antiquariarum* auctorem, vbi puluisculum suum adhibuerit,

Tenuem, candificum, nobilem puluisculum,
Complanatorem tumidulae gingiuulae,
Conuerritorem pridianae relliquiae,

quot credibile est epistolarum volumina ludibundum confecturum esse? Neque tamen his aliisque conatibus aut libri vtilitas aut nominis Winkelmanniani gloria minuetur. Qui sandalium olim vituperabat, quantiuis mehercle! sibi pre-

tii homo visus, isne Apelleae Veneris famae quidquam sua hac sapientia detrahere potuit?

II.

Domitii Vlpiani Fragmenta libri singularis regularum, et incerti Auctoris Collatio legum Mosaicarum et Romanarum, quibus notas adiecit *Ioannes Cannegieter*, Aduocatus in curia Gelrica; accedunt eiusdem disquisitio de notis et siglis veterum et Obseruationum Miscellanearum liber singularis.

Traiecti ad Rhenum, ap. Guil. Henr. Kroon, bibliopolam. 1768. 4.

Restant igitur in Belgio viri probae illius et veteris disciplinae tenaces, qua tot praeclari, cum Critica arte, tum Iuris scientia excellentes homines maiorum aetate formati fuerunt. Certe hic liber insignem testatur antiquitatis scientiam, Latini sermonis cognitionem non vulgarem, ingenii bene subacti Critices praeceptis atque exercitati acumen, lectionem veterum auctorum assiduam,

vno verbo, illarum virtutum omnium concentum atque copulationem, quas in *Bynkershoeckio*, *Wielingio*, *Schultingio*, *Noodtio*, aliis, laudamus atque colimus. Cuius quidem nostrae sententiae veritatem quemlibet credimus agniturum esse, ipso libro lecto. nam specimina siue opinionum siue animaduersionum inde excerpere non lubet. Quid pauca eligamus e quam plurimis bonis, cum, qui his litteris delectentur, libri praestantia cognita, ipsum sint totum perlecturi, iis vero, quorum ab hac humanitate animus alienior, nihil sit profuturus paucorum exemplorum recensus, immo cum ii aut hoc caput omnino non lecturi sint, aut non sine molestia certe.

p. 1-171. Primum locum obtinent *Tituli ex Corpore Vlpiani XXIX: siue Fragmenta, quae supersunt ex Domitii Vlpiani libro singulari Regularum*: quibus in edendis secutus est Vir Cl. auctoritatem Ant. Schultingii, qui in *Iurisprudentia Anteiustinianea* haec fragmenta proposuit, vnde eadem in suum, vt hoc opus praeclarum inscripsit, *Thesaurum Iuris* transtulit Meermannus, Belgii ornamentum. Censet vero Noster reliquias has totas Vlpiano tribuendas esse, nec ab Ania-

Aniano, aut alio quoquam Aniani simili compilatore commaculatas: licet plerique aliter de hac re sentiant. Immo ne Aniani quidem beneficio seruata atque ad nos transmissa esse putat haec fragmenta. "Ea enim, inquit, certa stare videtur p. 3.
„sententia, futurum fuisse, vt, si Anianus
„et hunc Vlpiani libellum commaculas-
„set, eo modo in ipso versaretur, quo
„versatus fuit in caeteris, quae ab eodem
„sunt tractata, veterum Commentariis:
„Gregorianum designo et Hermogenia-
„num codicem, Caii institutiones, excer-
„pta ex Papiniano, quae desiderantur,
„et Pauli sententias, ac sicuti in his, quae
„illorum nomine circumferuntur, laci-
„niis continuo manifestatur interpretis
„istius manus, ita quoque, si idem in-
„stituisset in eo, quo de cum maxime
„disputamus, opere vt idem appareat
„necesse est. Contra vero ipsum Vl-
„pianum auctorem refert purissima vbi-
„vis, elegantissima, et antiquitatem ge-
„nuinam repraesentans oratio. Deinde
„quam clarissime, nisi me omnia fal-
„lunt, elucescit, Anianum libro huic
„Regularum operam suam non adhibuis-
„se, quandoquidem eo loco, vbi labo-
„rum suorum exhibet catalogum, eo,

„inquam; ipso loco, quo et Vlpiani no-
„stri in praecedentibus meminerunt, frag-
„mentum hoc non memorat, silentio
„profecto non praetermissurus, si et id
„delibasset aut in compendium redegis-
„set. Euolue sis interpretationem eius
„ad *d. L. an. C. de Resp. Prud.*" Ad-
modum vero praeclare de hoc libro Vir
Cl. existimat magnique illum faciendum
esse iudicat. "Longissime, ait, ante-
„ponendum esse hoc opusculum vnus-
„quisque perspicit caeteris, quae in Iu-
„risprudentia Antejustinianea continen-
„tur, veterum ICtorum reliquiis, foede
„et misere adeo contaminatis, vt Cajum
„in Cajo, Paulum in Paulo saepissime
„quaesierint interpretes, ita denique in-
„terpolatis, vt, vbi Quiritium ius anti-
„quum te doceri putes, barbararum
„gentium consuetudines, si penitius
„inuestiges, tibi obtrudi comperias.
„Quid, quod praeferendum esse libel-
„lum hunc ipsis, quae in vastissimo Di-
„gestorum pelago supersunt, ICtorum
„responsis, iure existimare posse vi-
„dees? Haec enim a Triboniano caete-
„risque Pandectarum architectis vitiata,
„interpolata, et prout sui temporis ra-
„tio flagitare videbatur, varie mutata
„esse

„ esse nemo quisquam ignorat." Haec igitur fragmenta luculentis et copiosis commentariis Vir. Cl. instruxit, in quibus non solum post Cuiacii, Charondae, Schultingii, Petri Fabri et Meermanni labores a permultis, quibus hoc opusculum scatere complures questi sunt, mendis, illud purgare studuit, sed locis quoque obscurioribus ex antiquitatis scientia egregiam lucem affudit.

Sequitur, *Collatio legum Mosaicarum et Romanarum, descripta ex libris Moysis et Commentariis variorum veterum Iuris auctorum, qui ante tempora Iustiniani Imp. floruerunt.* p. 173-294. Hic libellus, quam Petrus Pithoeus primus in lucem edidit, compositus ille, vt recte Noster obseruauit ea aetate, qua iam in barbariem vergere coepit Romani sermonis decus, elegantioris Iurisprudentiae studiosis non est ignotus. Egregie ille illustratus fuit nuper ab Auctoris nostri fratre, Hermanno, viro eruditissimo, in *Commentario ad fragmenta Veteris Iurisprudentiae, quae exstant in Collatione legum Mosaicarum et Romanarum*, bonae frugis plenissimo. Noster in plerisque Schultingianam editionem secutus, ab aliis allata praeteriit, plurima-

que ex suis opibus ad illustrandum libellum attulit.

p. 297-366. Tertio loco apparet *Disquisitio de notis et siglis earumque usu frequentissimo in fragmentis antiquis, praecipue Iurisconsultorum.* Facile quisque vel leuiter his commentatiis inspectis obseruabit, lubenter Virum Cl. eorum sequi exemplum qui librariorum notis et siglis veteres libros corruptos esse putant, iisque ideo explicandis veram lectionem restituere conantur. Ac mihi quidem de eiusmodi emendationibus fere probatur Guil. Bestii sententia: *Videtur illa corrigendi ratio omnino incerta esse et fallax. Si enim initialibus solum litteris retentis nouas plane voces effingere liceat, nemo est, qui ignoret, posse quidlibet ex omnibus fere litteris produci et excogitari* (*).

Ipsum etiam auctorem nostrum indulsisse interdum credo nimium suis coniecturis, quibus capimur delectamurque eo magis, quo facilius ingeniosa earum species fallit. Interim ibi quoque, vbi assentiri Viro doctissimo non licet, iuuat tamen ingenii sagacitatem mirari. In hoc

(*) v. Ration. Emend. leg. c. 1. p. 47, ed. Lips.

hoc libello non solum multa scriptorum veterum loca, notis, quas ibi latere putat, enodandis corrigere studet, sed de notarum quoque origine, nomine et explicatione agit. Notarum harum vsum admodum late patuisse docet: iurisconsultis eas praesertim proprias et quasi solemnes fuisse, nec vllos, saltem paucissimos ad nos peruenisse iuris commentarios, notis qui careant: immo nec Florentinum quidem Pandectarum codicem iis destitui addit. "Do, inquit, „omnium optimum fortasse et antiquissimum esse codicem Pisanum: non eum „tamen esse librum illum persuasum est, „qui Iustiniani mandato confectus est, „aut copiam eius primam secundamue; „quod tamen vt crederent, abripuit nonnullos nimia ac vesana voluminis lau„datissimi veneratio. Cui aetati thesau„rus ille Florentinus sit adscribendus, „in incerto est, neque certius puto, ve„rumne sit, quod censent plurimi, „omnes, quotquot vbique circumferun„tur, antiquos iuris codices hoc quasi ex „fonte promanasse, exque eo vno de„scriptos fuisse. Immo vero contra „statuentium probabilior omnino vide„tur opinio. Demonstrasse mihi in „prae-

„ praesenti sufficit, volumen illud Amal-
„ phitanum notas haud paucas continere:
„ intelligo quaecunque litterarum com-
„ pendia, quo de quam manifestissime
„ constat ex testimonio eorum, quibus
„ copia eius facta fuit." Mihi quidem media via tutissima esse videtur. Nec Politiano assentior, omnibus scribendi compendiis illum codicem carere, nec Io. Metello aut Ant. Augustino, vbique notas et siglas deprehendentibus. Modestiores Taurelli et Brencmanni sententiae mihi placent.

Vltimum, quod hoc volumen com-
p. 369. plectitur, opusculum inscribitur: *Obser-*
539. *uationum Miscellanearum, quibus plurima Iuris Romani capita, multa quoque aliorum auctorum veterum loca exponuntur, emendantur, illustrantur, liber singularis.* Inseruiunt eiusmodi obseruationes acuendo ingenio, iuuant etiam auctorum antiquorum editores. Nec macilentum Vir Cl. dedit coniecturarum indicem, sed, vt decet virum liberalem et bene nummatum, lauta corollaria conuiuis obtulit, cum explicatis copiosius verbisque quibusdam dicendi formulis exquisitis et raris, tum antiquis ritibus legibusque illustratis. Huc pertinent,

tinerit, quae de testatoris voluntate religiosissime olim obseruata (p. 369.) de communi religione veterum circa cadauera, funera et quietem mortuorum; (p. 378.) de vindicationis modo antiquo (p. 405.) disputauit. Alia praeterimus, atque ipsis lectoribus, Critices studiosis, cognoscenda relinquimus. Gratulaturos eos nobiscum confidimus Belgicis Musis viri praeclari doctrinam atque ingenium.

III.

I. L. E. Püttmanni, ICti et Antecessoris, Probabilium Iuris ciuilis liber singularis: accedit eiusdem dissertatio Iuris Canonici de legislatore Ephesino ad cap. 5. X. de praescript.

Lipsiae ap. S. L. Crusium, 1768. pagg. 208. 8.

Cannegietero quem possumus meliori iure comitem sociumque adderet quam *Puttmannum* nostrum, eorundem studiorum aemulum parique laude dignum? Licet enim, vt paullo post ostendemus, aliam in tractandis veterum

rum libris rationem sequatur, magisque a Criticorum audacia eos vindicare, quam quidquam mutare velit, non minorem tamen antiquitatis, Critices atque sermonis Latini scientiam prae se fert. Immo forte eo maiore laude dignum est *Puttmanni* studium, certe admirabilior haec ratio in Germano homine videri debet, quo magis frigere videntur hae litterae in patria nostra, animis cum ad ineptiarum amorem abreptis, tum sola lucelli spe et cupiditate captis. Quibusdam certe in Academiis, maiorum aetate quae summis humanitatis atque Iurisprudentiae ornamentis florebant, iuuentum aures eorum voces personant, qui haec omnia contemnunt, certe non necessaria admodum esse clamant ad bene olim beateque viuendum. Quam orationem quid miremur iuuentuti placere, quae omnem sapientiam biennii impendio venalem esse existimat? Huic hominum generi Noster infestus, rogat omnes, qui, quantum suis studiis secula augentur, sollicitis articulis computant, „ne hic quaerant, „quae annonam faciant abundantiorem, „nec sibi succenseant, quod quantum ipsi „aut aleae aut conuiuationibus, aut

„aliis

„ aliis voluptatibus tribuant temporis, tan-
„ tum ipse sibi ad haec studia recolenda
„ sumat, murmuraque fori hisce blan-
„ ditiis commutare studeat" opportune
vsus illo versu:

His mane Edictum, post prandia Callir-
hoen do.

Laudauimus iam alio tempore *Puttmannianam* doctrinam, cuius illustre documentum ante aliquot annos dedit *Interpretationum et Obseruationum* egregius liber. Interim de hoc quoque libro quid iudicandum sit, aliquot exemplis docebimus. Absoluitur ille capitibus XXI. in quibus potissimum hoc Auctor agit, vt temere antiquarum legum verba, tanquam corrupta librariorum oscitantia, mutata a Criticis esse ostendat. Quanquam igitur alia quoque antiquitatis capita attinguntur, (huc enim pertinent *cap. VI.* Pomponii defensionem continens, *cap. VIII.* quo locus Plinii in Panegyr. c. 37. de vicesima haereditatum explicatur *cap. X.* de matrum in liberos potestate et alia) in refutandis tamen Sam. Petiti, Vonckii, Roeveri, Voordae, Gerh. Schroderi, aliorum opinionibus et coniecturis totus

fere

fere liber versatur. Vbique enim lectionis receptae sensum explicare, mutationesque Criticorum reiicere studet, nec sibi quidquam magis horum audacia displicere cum verbis tum re testatur.

p. 109. *Criticem*, inquit, *exercemus artem nobilissimam*, *si diuae huius mysteria non nisi summa cum reuerentia tangimus*, *vilissimam et abiectam*, *si nec modum nec finem habet audax et insatiabilis omnia contrectandi libido.*

Iam hanc rationem Viri Cl. quis non laudandam esse censeat? quis non summorum virorum exemplis commendari recordatur? Atque etiam praeclare res suas egit Noster, saepiusque aut Latini sermonis ignorantia, aut rei ipsius inscitia locorum integritatem Criticos tentasse clarissime docuit. Recte defendit illa Vlpiani *L. I. §. 4. Dr. depos.* verba:

p. 46. *Cum vero extante necessitate deponat*, *crescit perfidiae crimen et publica vtilitas coercenda est vindicandae reipublicae causa. Est enim* inutile *in causis huiusmodi fidem frangere:* haec igitur omnia integra esse contra Georg D'arnaud verbum *inutile* delentem immitaque profecto Minerua *inciuile* coniicientem, ostendit. nam verbum *inutile* pro

noxio

noxio positum esse ab Vlpiano. quam verbi vim loco Ciceronis (de *Inuent. I.* c. 49.) confirmat, [confirmare poterat locis pluribus a viris doctis collectis. (*)] Eadem laude digna est defensio Iauoleni contra Francisci Rygerbos coniecturas, mirificeque nobis placuerunt, quae pro Papiniano contra Schroderum, pro Tacito contra Iustium, virum ingeniosum et eruditum, dixit. Felicissime vero res Nostro successisse videtur in restituendo loco, qui misere torsit Criticos, Vlpiani apud *Auct. Collat. L. L. Mosaic. et Rom. t. I. §. 6.* Locus antea sic legebatur: *Et qui hominem occidit, absolui solet: scilicet, si non occidendi animo id admisit, et qui non occidit, sed voluit occidere, pro homicida damnatur. E re itaque constituendum est, ex quo ferro percussit ipsa funditus. Nam si gladium instrinxit aut telo percussit, quid dubium est, quin occidendi animo percusserit.* Quid hic *Puttmannus* noster egit? Sola inter-

p. 84.
p. 35.
p. 22.

(*) v. Cuperi Obseru. L. I. c. 14. et Burmann. ad Ouid. ex Ponto II. VIII. 59. praesertim consulatur Clarkius ad Hom. Iliad. B. 269.

interpunctione mutata omnia clara reddidit: *E re itaque constituendum est, ex quo ferro percussit, ipsa. Funditus nam si gladium instrinxit etc.* nil puto felicius cuiquam in mentem venire potuisse. Eae enim emendationes mihi optimae videntur, quae sese ipsae obtulisse videntur, quibusque cognitis miramur, non a nobis ea, quae ante oculos fuerunt, obseruata fuisse.

Interim tamen videtur mihi Vir Cl. timidior interdum fuisse, eaque etiam defendisse, quae corrupta esse constat. Audio liberam illius vocem, nec plane
p. 42. reprehendo: "Equidem, dicam enim, „libere, quod sentio, neque ideo ferulam aut paedagogos formidabo, nunquam potui mihi persuadere, aut veteres scriptores ita seruiuisse ludimagistrorum regulis, aut hodie in illorum explicatione semper praeceptis Grammaticorum obtemperandum, statimque corrigenda esse, quae illis aduersarier „videntur." Lubens largior, tot antiquorum auctorum libris perditis, paullo verecundius de Latini sermonis finibus pronunciandum esse, quam a multis fieri soleat. Eas vero formulas, quae non solum idonea auctoritate destituun-

tur,

tur, ſed quas etiam Latinae linguae na-
turae repugnare probabile eſt, quidni
libere eiiciamus Latio, cuius ciuitate il-
las librariorum ignorantia donare voluit?
Non reprehendo Virum. Cl. in loco
Marciani, *l. 3. pr. D. de bonis eor. qui* p. 98.
ante ſentent. verbum *ſceleritas* tuen-
tem. Licet enim hoc verbum nusquam
occurrat, facile tamen mihi perſuaderi
patior, ICtum eo vſum fuiſſe. Sed ſi
idem verba: *qua ſe in tantum foedus* p. 24.
deduxit in loco Pauli in *l. 47. D. de R.
N.* integra atque *foedus* pro *foeditate*
poſitum eſſe exiſtimat; ſermonis Latini
ratio mihi repugnare videtur. Indo-
ctorum Orbiliorum in numerum mini-
me adſcribi cupio. Nec tamen mihi p. 34.
perſuaſit Vir Cl. verba Vlpiani in *l. 2.
§. 2. D. de his qui nol. int. inter infa-
mes efficit* bene ſe habere, explicanda-
que eſſe: *inter infames vt ſit efficit.*
Immo verbum *inter* retinere quidem cu-
pio, ſed *efficit* in *eiicit* mutandum eſ-
ſe coniicio. Quoties non occurrit apud
veteres ſcriptores formula: *e ſenatu eii-
cere* (*). Atque haec videtur bene
conuenire in hunc locum. Nec credo

 me

(*) v. c. ap. Ciceron. pro Cluent. c. 42.
de ſeneɛt. 12. et alibi.

me audacius facturum esse, loco Caii *Instit. Lib. II. tit. IX. §. 1.* leuiter mutato: *Quae omnia numerando aut pensando aut metiendo ad hoc damus, vt eorum fiant, qui ea accipiunt, et ad nos statuto tempore non ipsae res, sed aliae eius naturae reddantur.* Vereor,
p. 41. vt allata a Viro Cl. exempla verba *ad nos reddantur* aliquo modo iuuent. Sunt enim illa alius omnino generis. Quidni substituamus: *ad nos redeant?* Formula Latina est, nec mutatio ipsa violentior. Sed haec hactenus. Habet profecto liber insignem materiam acuminis Critici expromendi: habet praeclara Puttmannianae eruditionis documenta, facile ea ab intelligentibus harum litterarum arbitris obseruanda. Nam cui totum hoc Criticorum animaduersionum genus displicet, ille legem conuiuiorum Graecorum sibi quoque dictam esse sciat: *aut bibito, aut abito.*

IV.

IV.

Herodiana Strages Innocentum: a I. Bapt. Marino Equite S. Mauritii et Lazari, Poetarum sui aeui Coriphaeo, Italico carmine quondam decantata, a B. H. Brockes, Com. Palat. Caes. Senatore Hamburgico, versibus Germanicis, a C. I. de Minoli, S. Iohannis Lateranens. Equite, Consiliar. Caesar. et Consilii Imper. aulici Protonotario, heroico-latinis reddita.

Viennae, ex typographeo Agheleneano, 1768. plagg. 7. 8.

Cur Marinum ex Italicis conuerterit huius carminis scriptor, causam video nullam. Neque enim, qui de ingeniorum carminumque laudibus recte iudicat, Marino aut *sublimes animi sensus* tribuet, aut principem inter Italos poetas locum cum Auctore dabit. Quis nescit Marinum auctorem fuisse, exempla prodidisse vitiosi et corrupti scribendi generis, quod mirifice tum hominum animos, dulcedinis cuiusdam specie, cepit, ingeniaque multorum,

 in

in Germania etiam, infecit? Quoties, vt alia Marini carmina praeteream, in hoc de caede Bethlehemitica verborum licentia exſultat, puerilibus et argutiis, quibus rerum pondus frangitur, ſententiis laſciuis! quoties aut tumore turgeſcit immodico inanibusque locis bacchatur, aut ornamenta quaedam ambitioſe quaerit, imperitorum quae oculos aliquamdiu fallunt, ſed mox euaneſcunt et meliorum comparatione quaſi emoriuntur. nil dicam de infelici, totius operis deſcriptione, partium praua coagmentatione, antiquitatisque profanae et ſacrae inepta confuſione. Eiusmodi poetae verſus non, credo, lubenter Latinae Muſae recitant, quae olim Virgilio ſuo atque Lucretio graue et naturali pulchritudine excellens carmen annuerunt. Nec quomodo Brockeſii verſionem theotiſcam, in fronte quoque libri commemoratam, *miris laudibus* dignam appellare potuerit Auctor, video. Erat profecto Brockeſius vir honeſtus, probus, liberalis, nec candidius amabiliusque quidquam illo fuiſſe, narrant, qui eo familiariter vſi ſunt. Fuerit etiam eruditus multarumque rerum ſcientia inſtructus. hoc quoque dabo.

Sed

Sed inter poetas patriae nostrae quis eidem locus concedi debeat, non credo obscurum esse.

Quas vero, me non intelligere fassus sum, ecce! ipse Auctor exponit huius versionis componendae causas. "Aliae „non sunt, inquit, quam desiderium, „quo teneris ab annis iam flagraui, lit„teras humaniores addiscendi, quas in„ter diuina poesis et cognitio linguarum, „procul dubio principem locum sibi „vendicant. Cum exercitium conti„nuum et vsus praestantissima media „sint, hunc ad finem perueniendi, existi„matu facile est, quod transponendo „poema hoc Italicum in idioma Lati„num occasionem optimam nactus sim, „vtriusque linguae sermonem haud per„functorie perdiscendi." Laudo viri boni consilium, atque etiam lubenter fateor, merito illum stilum optimum et praestantissimum dicendi scribendique magistrum atque effectorem existimare. Sed quis quae exercitii causa facta sunt, omnibus, qui vbique sunt, tradat? quis versus, ideo scriptos, vt versus scribere discat, euulget? Nam quod ad ipsam versionem attinet, Itali sensus assecutus quidem est auctor eosdemque expressit,

 sed

sed veror, vt aures numeris Virgilianis assuetas lectio carminis delectet. Non solum enim rei metricae leges, profecto difficiliores, quam vulgo putant, neglectae sunt interdum, numerorumque suauitas vbique fere deest, sed dicendi quoque genus minime est Latinum, verbisque contaminatum, plane ab ea aetate alienis, qua Romani sermonis nitor decusque effloruit. Age vero, ipsis lectoribus iudicandi de his copiam faciam, initio libri primi repetito, (nam tum integer adhuc fuit calor) Itali etiam versibus infra scriptis, vt, qui his litteris delectetur, comparare vtrumque scriptorem possit.

In centro mundi, sub auerni tristis abysso,
Inque sinu terrae, tenebrosi gurgitis imo,
Spiritus ille latet longis peruersus ab annis,
Aspidibus centum nodante ligamine cinctus,
Heroum

Sotto gli abissi in mezzo al cuor del mondo
Nel punto universal de l'universo,
Dentro la bulgia del più cupo fondo
Staffi l'antico spirito perverso.

Con

Heroum Princeps quas tempus in omne
catenas
Iniecit misero, Paradisi sede fugato,
Iudex tormenti, rex poenas promtus ad
omnes
Ignifero sedet ille throno: sua pallia
quondam
Splendida, iam flammis et sunt contexta
tenebris
Aeternis: gestat damnata fronte coro-
nam
(Fastus hic imperii est,) in septem cor-
nua cessam;

Con mordaci ritorte un groppo immondo
Lo stringe di cento aspidi à traverso;
Di tai legami in sempiterno il cinse
Il gran campion, che n' Paradiso il vinse.
Giudice di tormento e Rè di pianto
D'inestinguibil foco hà trono, e vesta,
Vesta, già ricco, e luminoso manto,
Hor di fiamme e di tenebre contesta.
Porta (e sol questo è del suo regno il vanto)
Di sette corna alta corona in testa.

Regificum virides hydrae et diadema Cerastes
Turpes horribili *circumdant ornamenta*.

Inque oculis, habitant vbi mors et moeror acerbus,
Turbida lux fulget, simul ac rubicunda; Cometis
Obliqui aspectus similes torsaeque pupillae,
Fulguribus victus oculorum: naribus exit
Ac labiis foetor pallentibus atque caligo;
Sunt tumidi gemitus tonitru, spiramina fulmen.

Pestifero

Fan d' ogn' intorno al suo diadema regio,
Hidre verdi, e Ceraste horribil fregio.

Negli occhi, ove mestitia alberga e morte,
Luce fiammeggia torbida e vermiglia.
Gli squardi obliqui e le pupille torte
Sembran Comete, e lampadi le ciglia.
E da le nari e da le labri smorte
Caligine, e fetor vomita e figlia.
Iracondi, superbi e disperati
Tuoni i gemiti son, folgori i fiati.

Con

Pestifero visu, perfuso sanguine foedo,
Crudelique halitu, quo flammam caussat et ignem,
Horrendos tetrosque rogos, qui tempore nullo
Consumti, frustra consumunt quaeque, perurit.
Concrepitant aspri spuma et rubigine dentes,
Dant chalybeia sonum squamosaque membra tremendum
Ictibus immanis caudae percussa Minaces

Assistunt

Con la vista pestifera e sanguigna,
Con l'alito crudel, ch'avampa e fuma,
La pira accende horribile e maligna,
Che'nconsumabilmente altrui consuma,
Con amaro stridor batte e degrigna
I denti aspri di rugine e di schiuma;
E de' membri d'acciaio entro le fiamme,
Fà con l'estremo suo sonar le squamme.

Trà

Aſſiſtunt Furiae tres, turba miniſtra, tyrannum,
Vipereis ſtygium ſemper virgis agitantes,
Quarum, criſpatis innexi crinibus angues
Horrificam faciunt foedatis frontibus vmbram;
Ferrea ſceptra tenens regnum ſe horreſcit et ipſum.

O quondam formoſe, miſer nunc Angele, cauſam
Dic mihi, ſplendorem dic qua ratione priorem
Perdis?

Trè rigoroſe Vergini vicine
Sono aſſiſtenti a l' infernal tiranno,
E con ſferze di vipere e di ſpine
Intente ſempre à ſtimular lo ſtanno.
Creſpi han di ſerpi inanellato il crine,
Ch'horrida intorno al volto ombra lor fanno.
Scettro ei ſoſtien di ferro e mentre regna
Il ſuò regno è ſe ſteſſo abborre e ſdegna.

Miſero e come il tuo ſplendor primiero
Perdeſti, ò già di luce Angel più bello
Eterno haurai dal punitor ſevero

Al

Perdis? nempe thronum diuini numinis ausus
Vſurpare, tuo nimium tumefactus honore,
Sic transformatus rapidas Phlegetontis in vndas
O Narciſſe cadis, Phaeton temerario faſtu.

A l' altrui ſeggio uſurpator rubello,
De' freggi tuoi vagheggiatore altero,
De l' altrui ſeggio uſurpator rubello,
Transformato, e caduto in Flegetonte,
Orgoglioſo Narciſo, empio Fetonte.

Satis, vt puto, hi verſus quemque docebunt, non admodum feliciter primum operis huius conatum auctori ſucceſſiſſe; Eorum, qui ſequuntur, multi peiores etiam ſunt. Quibus cognitis quis non miretur, Auctorem praeclariſſime de hac verſione ſentire? Non enim laude aequalium contentus eſt: poſteritatem ſpectat, atque aeternam famam aſſequi cupit: id eſt, ſibi locum inter Horatios, Virgilios, Lucretios pollicetur. Nam et in carmine, huic libello praefixo ſcribit:

Voi

Vos immortales dum reddidit bocce (Matine
Et Brockes) talem me quoque reddet opus.

et hunc titulum subiunxit:

Exegi monimentum, aere perennius.

Equidem vix credo, nominis immortalitatem tam facili opera comparari posse, immo, si mihi quoque hoc tempore, quo Philosophorum scholae quorundam Germaniae vaticiniis personant, vaticinari liceat, rebus omnibus circumspectis, o libelle,

vt sis
Vitalis metuo.

V.

Memoires pour la Vie de François Petrarque, tirés de œuvres & des auteurs contemporains: avec des notes ou dissertations & les pieces justificatives. Tome troisieme.

Amstelodami, ap. Arkstee et Merkus. 1767. 4.

Amplissimum huius operis ambitum indicauimus iam alio tempore (*), eoque

(*) Vol. III. P. II. p. 183. sequ.

eoque non tam Petrarchae vitam, quam plurimarum, quae in ea, quibus dulcissimus poeta vixit, tempora cadunt, rerum narrationem contineri diximus. Multa, quae in republica acciderunt, explicantur accuratius: multa, quae ad litterarum historiam, ad clarorum virorum ingenia cognoscenda faciunt, illustrantur. Vno verbo, non contemnendam historiae illius aetatis partem hoc opus complectitur. cuius esse auctorem fama fert Abbatem *de Sade*, eodem genere ortum, cui immortalitatem dedit Laurae nomen.

Iam nos, licet difficile esse fateamur, sine Ariadnaeo filo auctorem, modo huc, modo illuc vagantem, nunquam recta pergentem via, sed diuertentem vbique, sequi, summa tamen rerum capita attingemus. vnde, quanta rerum varietas huic libro insit, lectores intelligent.

Sub finem libri tertii Laurae mors commemorabatur: in *quarto*, qui primum huius voluminis locum occupat, quae inde consecuta sunt, id est, quae ab a. 1348. vsque ad 1352. acciderunt, p. 1-302. Auctor persequitur.

Hos annos Petrarcha non vno in loco egit; modo Patauii versatus, modo Mantuae, modo aliis in vrbibus: Romam quoque petiit, vt secularia ibi sacra celebraret: aliquamdiu delituit in valle, cuius amoenitatem vnice amauit, iucundissima: Aueniónem quoque, vbi tum aula Pontificia erat, adiit. Parum iucundum fuit Petrarchae illud temporis spatium, cum ob publicas calamitates, belli pestisque saeuitiem, tum ob funera amicorum, Cardinalis inprimis Columnae. Ipse vero dulces ante omnia Musas optatumque otium coluit, reiectis etiam amicorum, qui illum commendationibus apud pontificem iuuare cuperent, adhortationibus. Sibi voluit viuere. Interim publicas res saepe respexit, eloquentiaeque vim adhibuit cum ad belli incendia compescenda, tum ad
p. 68. pontificem Romam alliciendum. Immo Imperatorem Carolum IV. litteris adhortatus, vt in Italiam veniat, Romae sedem figat et imperium orbis renouet. Norunt enim, qui Petrarchae scripta legerint, quam suauiter vana de Roma, orbis, non Italia solius, capite, et prisco illius splendore ab Imperatore reddendo
p. 90. delectatus sit. — Romae aliquid expertus

tus est Petrarcha, quod nostro aeuo multi in ea urbe experti sint: certe non puto secuturorum seculorum ceremonias multorum in animis hanc vim habuisse. Omnem erga foeminas amorem, penitus insitum animo, abiecit, nec ullum ex eo tempore cum iis commercium habuit. *Post Iubilaeum*, inquit, *sic me, adhuc viridem pestis illa deseruit, ut incomparabiliter magis odio mihi sit, quam fuerit voluptati.* Et vidit fortasse multa tum Romae Petrarcha, quae fastidium mouerent. — Alio tempore p. 101.
Petrarcha chartas suas tenebris et puluere obsitas excussit: quas cum primum omnes in ignem conicere vellet, mox tamen easdem perlegere coepit. Libenter enim crescentis veluti ingenii conatus obseruamus. Vix vero se ipsum in iis agnoscere, longe aliarum sententiarum sibi nunc conscius. Tum consilium capere, easdem corrigendi: mox vero illud iterum abiicere, magnamque carminum et epistolarum vim flammis tradere. Quo in incendio casu seruata sunt quaedam volumina, quibus ipse Petrarcha deinde pepercit. Illa continebant octo libros *de rebus familiaribus* et carminum Latinorum libros tres. Reliquarum char-

 tarum

tatum interitum quis non lugendum esse
p. 93. censeat? — Aretii Petrarcha codicem mutilum, et vetustate exesum inuenit, qui Quintiliani Institutiones continebat: quarum lectione incensus epistolam scripsit ad Quintilianum, vt paullo antea
p. 108. ad Varronem scripserat. Immo excitatum fama de reperto Patauii T. Liuii monumento, licet hoc, vt viri docti ostenderunt, minime ad clarissimum historicum pertineret (*), ad Liuium quoque
p. 124. litteras dedit. — A. 1351 respublica Florentina Boccatium ad Petrarcham misit, illumque, patriis bonis restitutis, Florentiam reuocauit. Nempe, vrbe peste exhausta, Vniuersitatem Florentini condere volebant, cui ab aduentu Petrarchae multum splendorem accessurum esse recte iudicabant. Sed Petrarcha solitudinem praetulit omni celebritati. — Multae huic libro additae sunt epistolae, a Petrarcha scriptae: omnes ille eloquentiae vires neruosque contendisse videtur in ea, qua Florentinos ad mortem amici a latronibus occisi vlciscendam adhorta-
p. 21. tur, atque in aliis, qua amoenitates Ita-

liae

(*) v. Gudium ad Gruteri Inscript. p. DCCLXXVI. et Liuium Drakenborchian. T. VII. p. 17.

has describit omniaque colligit, quae p. 53. animum illius regionis admiratione atque amore implere possint.

Quinto libro comitatur Auctor Petrarcham Mediolanum, vbi aliquamdiu subsistit, et varias Italiae in vrbes. p. 303. Voti enim diuturni compos Imperatorem Italiam ingressum Petrarcha conspicit. Litterae Imp. Caroli IV. ad Petrarcham ipsaque ratio, qua Imperator cum eo egit, cum, quanta fuerit poetae fama p. 338. auctoritasque ostendunt, tum amabilem quandam humanitatem declarant. Interim narratio rerum, quae Imperator in Italia egit, longior est, animumque patientissimi etiam lectoris fatigat. Quas p. 380. vero Petrarcha ad Imperatorem dedit, ob illius ex Italia discessum, eae sane liberius scriptae sunt, quam conditio Poetae ferret, litterae. Alius princeps fortasse durius hanc linguae incontinentiam compescuisset. Nec decebat priuati hominis fortunam haec animi impotentia. — Obstupuimus fere, vbi legimus, p. 412. Petrarcham lauream, Zanobio, poetae quidem mediocri, sed amico tamen veteri, ab Imperatore datam tam aegre tulisse, vt posthac nec negotii quidquam haberet cum pristino familiari, nec ad p. 409.

 illum

illum vigiliam scriberet. Nil [illegible] vir sapiens, [illegible] nos Musarum, sed coquum manibus nobis impositas, quibus sola fortuna sceptrum
p. 499. dedit et imperium? Et loci non displiceat, Petrarchinus, quoties de Germania loquitur, eam per barbariem et barbariem in [illegible] habere? Immo Italia, omnis generis sceleribus foedata, latronibus plena, bellis intestinis misere vexata, barbara maiori iure appellari poterat. Sed animum a partium studio, ab honoris cupiditate, ab invidia liberum neque vita Petrarchae neque scripta praeseferunt. Interim non potuit [illegible]
p. 431. no barbariem, et Imperatorem in Praga
p. 476. salutavit Petrarcha. [illegible] Librum *De remediis fortunae utriusque* valde Auctor laudat. Plenum enim esse ingenio, doctrina, sententiisque bonis atque ex scholis optimorum Philosophorum sumtis. Ex historia multa adspersa esse, nec quidquam quod huc pertineat, facile omissum. Fatetur tamen, se hoc legisse illum librum nec facile quemquam illius lectionem sufferre posse. Id quod cum ob dialogi, illius seculi ingenio decommodati, vitia, tum ob argumentum ipsum, ab aliis iucundius tractatum accidere

dere arbitratur. — Lepida est narratio de p. 497.
fabro aurario prope insaniente ex amore
erga Petrarcham incredibilique eum gau-
dio eum domum suam deducente. — Me-
morabilis est Petrarchae epistola ad Boc- p. 508.
caccium, qua de Dantis ingenio et ver-
sibus sententiam dicit. Licet laudes has
ei tributas fuisse nec libenter nec ex
animo appareat, cuivis, accuratius epi-
stolam examinanti. Adeone patent sum-
ma ingenia humili invidiae! — Anno
1359. nuncius venit ex Bohemia ad Pe- p. 516.
trarcham cum litteris, quibus illi Impe-
ratrix Anna, filiam se peperisse narrat.
Vno verbo, nunquam credo illi docto
viro tantos à principibus viris honores
habitos fuisse, quantos Petrarcha accepit.
— *Sextus* liber reliqua Petrarchae fata vs-
que ad mortem continet, id est, ab a. p. 573-
1361. vsque ad a. 1374. quos annos fere 811.
Venetiis poeta consumsit. — Bibliothe-
cam quoque suam legavit, reipublicae,
nusquam quae ibi nunc appareat, tineis,
blattis et puluere consumtam: id quod
quam honorificum sit reipublicae Vene-
tae, alii iudicent. — Imperator litteris p. 591.
humanissimis Petrarcham inuitat ad iter
in Germaniam faciendum. Cuius vo-
luntati cum non in eo esset vt satisfa-

 ceret,

ceret, mox vili vbique milite oppleta,
p. 633. in Italia subsistit. — Donum accepit
673. Petrarcha a Boccacio iucundissimum Homerum, a Graeco homine, Leontio Pilato, mirae inconstantiae et leuitatis exemplo, Latine redditum et Boccacii manu scriptum. vnde error ortus est, Petrarcham ipsum versionem Homeri Latinam confecisse. [Obiter moneo,
p. 634. Christ. Frider. Boernerum non fuisse Antecessorem, sed Theologum Lipsiensem] — Venetiis Petrarcha abiit, ob in-
p. 751. tolerabiles eorum, qui se Aristotelis discipulos profitebantur, mores. Hi non solum Aristotelem, id est, libros Aristotelis pessime redditos Latine et ab Averroe explicitos, summa veneratione prosequi: sed etiam impias fouere sententias de aeternitate mundi, de sacrae scripturae auctoritate, quam nullam esse dicebant, et iuuentutem corrumpere. Aliquo die de ingenio et doctrina Petrarchae isti imberbes homines quaestionem instituere, rituque in foro recepto causa acta, pronunciare: *Petrarcham esse virum bonum sine litteris.* Haec sententia, sane ridicula, cuiusque nulla aetas vidit similem praeter nostram, ingenio Sophiae Berolinensis, scholaeque

Neapolitanae splendore illustratam; Petrarchae occasionem dedit, *de ignorantia sui ipsius et multorum* scribendi. Et debuit profecto homunciorum istorum clamores contemnere Petrarcha, quo mortuo haec via omnium erat in Italia vox: fuit pater litterarum! lumen seculi est exstinctum! Huic quoque volumini addita sunt ab Auctore monimenta XXVII. quibus usus est ad maiorem commentariis suis cum lucem tum veritatem conciliandam, quorum in fronte apparet Petrarchae ad posteritatem epistola, quam, licet saepius a nobis lectam, nunc quoque legimus non sine voluptate. Reliqua aut iam edita sunt, aut nunc primum prodeunt, e scriniis praesertim nobilis familiae de Sade in lucem data.

p. 80.

p. 188.

Diximus multa attigisse, quaedam copiosius quoque explicuisse Auctorem, aliqua necessitudine cum* Petrarchae vita coniuncta. Id quod exemplis aliquot demonstrabimus. Alio loco Domus Gonzagensis, qualis eo tempore erat, fortuna atque conditio exponitur, alio argumentum fabulae, obea; quibus scripta est, temporis clarae de rosa, *(Roman de la Rose)* explicatur. Quemadmodum etiam multa ab Auctore afferuntur, quae ad

p. 38.

p. 45.

ad rerum publicarum historiam pertinent, ita etiam aulae pontificiae qualis fuerit Auenione a. 1351. faciem, copiose
p. 144. exponit. Immo quae consilia tum illa
p. 321. aula agitauerit, narrat. Mox ad Tribunum, cuius in prioribus voluminibus saepe mentionem fecit, Rienzium, ca-
p. 266. ptum et Auenionem ductum redit, multaque de fatis supplicioque auctoris ho-
p. 269. minis addit. Imaginem quoque pingit Clementis VI. cui iniuriam fecisse putat Italos, pontificibus Auenionensibus infestos. Inter magnos viros illi locum concedendum esse, illiusque vitia magnis vir-
p. 573. tutibus compensari putat. Alio loco de Patauii origine et historia multis verbis agit, etiam de Antenoris sarcophago, a Louato reperto, et de versibus cui inscriptis, quos fraude effictos esse, non probabile est, sed certum. Recte Sertorius Vrsatus (*) versus illos *infimo aeuo et barbaro* tribuit, id quod hac luce est clarius. Multa praesertim occurrunt in hoc volumine de Boccatio, Petrarchae
p. 601. amico. Placet historia de mutato cucullati fratris arte animo Boccacii. Ingeniosos etiam homines decipi illa ostendit.

(*) Monum. Patav. p. 94 et alibi. Scardeonii Histor. Patav. L. I. p. 5.

dit. Venit ad Boccacium monachus, alius monachi nomine, paullo ante mortui, et specie coelesti, nescio qua, motus adhortatur eum, vt mores mutet, versus scribere desinat, profanos libros abiiciat: ni faciat, instare mortem subitam, et saeuissima supplicia miseram animam manere. Haec Deum monacho omnia dixisse. Quid vero putatis Boccacium egisse? Risu procul dubio excepit fraterculum fraudulentum, aut domo eiecit, quo modum pedem intulit? imme contremiscere, timere, abiicere instrumenta artium, et bibliothecam, impiis auctoribus plenam, vendere velle. Quibus locis credibile est Boccacium alium quemlibet, sic agentem, irrisurum, quam lepidam de illo fabulam narraturum fuisse! Sapientior vero Petrarcha Boccacio in gratiam eum redire cum Musis iisdemque vt antea sacra facere iussit. Hoc loco agit Auctor de libro Boccacii notissimo, qui *Decameron* inscribitur. Quo libro licet, si narrandi rationem spectes, nil possit venustius et festiuius, si dicendi genus consideres, nil elegantius cogitari, (est enim oratio copiosa, mollis, faceta: non narrari, quae legimus, sed agi videntur) ipse p. 608.

 tamen

tamen Boccacius parum tribuit, immo ne dignum quidem censuit, cuius apud
p. 610. Petrarcham mentionem faceret. Quantum, addit Auctor, censetis miratum fuisse Boccacium, si quisquam ei dixisset: opera tua, Latina et Italica lingua scripta in bibliothecis puluere obsita olim nullum lectorem inuenient: at hic liber, ducentis immo pluribus editionibus diuulgatus, ab omnibus lectus, omnes in linguas translatus, Italicae linguae auctoris patriaeque tuae Ciotropis honorificum tibi nomen conciliabit. Quae contra libri auctorem a multis dicta sunt, refutan-
p. 611. tur ab Auctore. id quod non necessarium esse iudico. Nec commendare certos libros, nec defendere eorum scriptores opus est. Eos qui legere nolit, hos qui contemnat, illum frui patiamur
p. 700. sapientia sua. — De Ioanne Rauennate, multa dicuntur, non iniucunda lectu.
8. Praeterimus alia. nullus enim est fere clarorum illius aetatis hominum, quocum necessitudine aliqua coniunctus fuit Petrarcha, de quo non quaedam Auctor addat. Atque eiusmodi narrationes multo libentius legimus aliis, nec necessariis et ab historicis commemoratis, rebus. Nemo certe ab Auctore longam ludo-

rum, ob victoriam a Venetiis celebratam, p. 649.
rum descriptionem exspectasset. Dedit tamen illam, quia eo tempore Petrarcha Venetiis fuit. Et sic solet Noster saepius.

VI.

Eloge de Leibnitz, qui a remporté le prix de l'Academie Royale des Sciences & des belles lettres, adjugé dans l'Assemblée publique du 2 Juin, MDCCLXVIII. par Mr. Bailly, Garde des Tableaux de S. M. T. C. en survivance & Membre de l'Acad. Royale des Sciences à Paris.

Berolini, ap. Haude et Spener. 1768. pagg. 76. 4.

Si quis aegrius ferat, libellum Academiae suffragiis ornatum minus nobis placere, qui non talem eum esse profitemur, qualem exspectauerimus, ille cogitet velim, optimum inter eos tantum, qui Academiae oblati fuerint, illum iudicatum fuisse nec ea de causa praemio decoratum, quia nil illo melius cogitari possset, sed quod melior esset

reliquis.

reliquit. *Magnitudo*, ait Seneca, *non habet certum modum, comparatio eam aut tollit aut deprimit.* Quotidianis etiam formis aliqua laus datur in regione, vnde Venus exulat, eoque quem suauissimus scriptor adiit, in terrae angulo, vbi,

tota cohors pede non est altior vno,

nanus eandem admirationem excitat, quam alibi Typhoeus Enceladusque. Immo, cum mediocri scriptori palma data sit, longe peius reliquos, qui in societatem certaminis venerunt, res suas egisse, coniicere licet. Atque etiam, ipsa Academia eam de hoc libello sententiam tulit, quae quam longe illum a perfectione abesse indicet, clare ostendit.

Imitari videtur voluisse Auctor eos pictores, qui angusto in tabellae spatio oris humani simillimam speciem reddunt. Nam ipsi descriptioni ingenii et doctrinae Leibnitii triginta tantum, id est, admodum paucas paginas dedit. reliqua libelli pars adnotationes quasdam continet, illustrandi elogii causa additas. Sed nec videtur animo totam ingenii Leibnitiani magnitudinem complexus

plexus fuisse, nec ea valuisse arte, quae ad colligenda quamplurima et coarctanda quasi, sic tamen, vt oculum feriant, opus est. Ea nobis de Leibnitio dixit, quae centum alii dixerunt, quidam melius etiam. Nouas, quarum hoc argumentum est capacissimum, obseruationes frustra quaesiuimus. Certe e scriptoribus Gallicis, quos etiam *p. 34.* nominat, omnia hausisse, non ipsa ingenii Leibnitiani monimenta, certe pauca, p. 11. euoluisse videtur. Immo, si libros summi viri diligentius legisset, si, quae post illius mortem prodierunt, epistolas inprimis, accurate expendisset, si examinandis et inter se comparandis sententiis plus temporis dedisset, nec aliorum narrationi fidem addixisset suam, et pleniorem haberemus Leibnitianarum laudum descriptionem et veriorem. Nam de multis nec satis aeque nec vere Auctor iudicauit. Quomodo potuit, quae *de docendi discendaque iurisprudentia* Leibnitius scripsit, tantis p. 4. laudibus extollere, eaque cum iis comparare, quae maximus Regum nostra aetate egit, fraudibus rabularum et arti- p. 5. bus fori eiectis? Noui ipsum Leibnitium sat praeclare de illo libello iudicasse,

nam

nam *contemptoribus dixit satis supplicii*
fore ignominiam. Sed ipso libro cogni-
to non possum non Viro Cl. Hommelio
assentiri, qui *puerilem* illum esse indi-
cat, et *philosopho, necdum Iurisconsulto,*
indignum (*). De scriptorum Bruni sui-
orum collectione ita loquitur (p. 8.) ut
vix credam, eum hoc opus unquam in
manibus habuisse. Sententiam Leibnitii
de noua, qua uniuersus orbis utatur, lin-
p. 11. gua inuenienda, ita exornat, ut fabula-
rum scriptorem nobis audire videamur.
Certe, qui, quae ipse Leibnitius scripsit,
legit, nunquam sibi persuaderi patietur,
tale fuisse Leibnitii consilium, quale
Auctor fingit. Fecit hoc, facile lar-
gior, ideo, ut ex ipsa ingenii imbecil-
litate laudis materiem arcesseret. Sed
non quid honorificentissimum esset Leib-
nitio spectare debuit, ab ista picturata re-
conditae sapientiae imaginibusque ani-
mus ad rem veritatemque adducendus
erat. An doctrinam Leibnitianam de
monadibus animique cum corpore com-
mercio recte perceperit, alii iudicent.
Certe quibus matheseos studium iuuit
Leibnitius, labores conatusque paucis
tantum attigit, nil de tentatis ab eo ma-
[illegible] chinis

(*) v. Litteratura Iuris p. 227.

chinis vitiis, nil de sententiis, naturae scrutatoribus notis. Ex iis quae Auctor attulit, si iudicium facere vellemus, vix a limine Mathesin Leibnitius salutasse videbitur. Quare, qui magnitudinem ingenii Leibnitiani, immensamque rerum, quas animo comprehendit, vim cognoscere, qui, quam quasi viam ingressus sit, quibus subsidiis adiutus, quibus gradibus nisus sit eo, quo illum peruenisse videmus, audire, qui denique quam longe fines scientiae humanae ab illo prolati sint, quam vim habuerint omnia, quae scripserit egeritque, cum ad eruditionem tum ad felicitatem hominum augendam, discere velit, nae ille, hoc libro perlecto, parum sibi auctorem satisfecisse fatebitur.

Quid igitur egerit Auctor quaeritis? Paucis dicam. Nota omnibus repetiit, atque, vt haberet, quo gloriari posset, sententias vbique adspersit. Qua in re hac rationem sequitur, vt sapientia haec scholastica sibi vbique fere viam ad narrationem muniat. Loco communi, vt aiunt, praemisso, plerumque tum addit; *nunc ad Leibnitium haec transferamus; haec in Leibnitium conueniunt.*

nivit (*). Quam artem illum, credo narrationem quasi condire voluisse utilemque et fructuosam lectoribus reddere. Sed reddidit eam molestam et iniucundam. Nam displicet illud luculentum sapientiae inculcandae perpetuumque studium, puerilemque quandam affectationem spirat, et quales tandem sunt illae sententiae, quibus aures nostras fatigat? Num novae, num exquisitae? imo vulgares, quotidianae, interdum omnino inanes.
p. 15. Non narrare audet, Leibnitium auctorem fuisse Academiae Berolinensis, quin moneat, non exiguos fructus in litteras redundare ex Academiis. Hoc hercle nemo nescivit. En tibi aliud exemplum. Leibnitium dicit Lutetiam Parisiorum venisse celeberrimosque ibi Philosophos
p. 13. salutasse. Iam nunc aures arrigamus. Magnis enim audimus ingeniis contineri gloriam populi: Ludoviciani seculi splendorem evanuisse; illorum vero virorum memoriam vigere. Quid est sententias loqui, si hoc non est? Sed memorabilior [illegible]

(*) p. 2. *A ces traits l'Europe reconnait Leibniz.* p. 3. *Ces réflexions vont servir à péser la gloire de Leibnitz.* p. 5. *Ces grands objets étoient faits pour Leibnitz.*

morabilior etiam locus occurrit. Leibnitium historiarum studium amasse, nec vno modo iuuare studuisse, norunt omnes. quidni igitur Auctor noster hoc sciat? Et vix quidquam aliud dixit quam quod quisque fere e populo de hac re dicere possit. At nemo de Leibnitio historico cogitauit aut locutus est, qui hac opportunitate orbem terrarum erudiendi tam feliciter vsus sit, quam ab Auctore nostro factum esse animaduertimus, qui omnem sapientiam eloquentiamque suam pleno sacco effundit. Belli incendia detestatur: saeuitiem execratur p. 8. hominum: Anglos et Gallos increpat, rationem, vt olim magi lunam coelo deuocat (*). Quae quidem omnia non parum

(*) *Le sage, sortant de la lecture de l'histoire, est fatigué de la triste uniformité des tableaux qu'elle présente. Hé quoi, dit il, les hommes ne font que passer sur la terre; pourquoi faut-il que la discorde & la guerre en soient à jamais habitantes! L'intérêt dévaste les plus belles contrées, & trace avec du sang les limites des Etats! L'intolérance, entourée de buchers, dit à la pensée: tu t'arrêteras ici, & un aveugle dit à d'autres aveugles: j'ai découvert la voie, il faut ou la suivre, ou mourir. Hommes,*

parum suo auctori placuisse videntur. Talia legenti saepe mecum dicere lubuit, animo ad auctorem Gallicum conuerso:

si videas hoc
Gentibus in nostris, risu quatiere!

Non videtur Auctor optima eloquentiae exempla, quibus nec Gallia destituta est, ante oculos habuisse, corruptus eodem morbo, qui plurimorum in Gallia animos infecit. Non enim hi contenti naturalis pulchritudinis laude, qua nescio an vlla iucundior optabiliorque esse possit scriptori, pigmenta quaerunt fucumque, quo, si imperitorum oculi fallantur, idoneus arbiter eloquentiae nunquam decipietur. Taedet prope humano ore loqui aut in terra ambulare. Tenero et molli ingressu gradum suspendunt,

mes, puorquoi vous déchirer? Anglois François, Allemans, vous êtes tous freres & citoyens du monde. La raison s'éleve au milieu des erreurs pour le combattre, mais si l'homme se refuse à la lumière, elle ne détruit, point l'individu pour anéantir les pensées et elle crie au fanatisme; celui qui s'égare est encore enfant de l'Etat & de l'humanité. O raison, toi seule es le juge de l'intérêt & de l'erreur!

dunt, nubes captant, quoque propius a poetarum sermone absunt, eo elegantius exquisitiusque sibi dicendi genus tribuunt. de quorum hominum scriptis quid putatis Boilauium, si ille ad nos rediret, iudicaturum esse? Horum in numero etiam nomen suum profitetur huius elogii auctor, qui non alio modo grandem orationem se reddere posse sperauit, quam si figuras vbique et ornamenta orationis ostentare, ardere semper aliosque incendere velle videretur. Taedet fere exempla vitiosi et puerilis sermonis dare. Sed dabimus tamen. Vbi de Leibnitio, Academiae auctore, loquitur, profecto tubam inflare videtur (*). Mox Leibnitii de Geometria merita expositurus, Geometras Parisinos et Londinenses conuo- p. 15.

 cat,

(*) *Berlin est aujourd'hui l'émule de Paris & de Londres. Ces trois Academies sont semblables à ces hautes montagnes, qui s'élevent vers le ciel & dominent la terre; leur sommet n'a pour habitans que ces especes favorisées à qui la nature donna des ailes rapides! On en a vu sortir des aigles, qui unissant leur vol & perçant la nue, ont osé fixer le soleil qui nous éclaire, & lui demander compte de la course inégale de l'astre de la nuit!*

p. 18. eat, immo Leibnitium et Newtonum ad
p. 19. Auernum descendentes conspiciatur. Sed
haec ludum vbicumque esse dixeris, si
comparaueris haec cum eo loco, vbi de
p. 28. Theodicaea loquitur. Ibi vere tragoe-
dias agit: tonat fulminat: Asiam, Eu-
ropam, Americam videt: terrae motus
immo Vesuvii flammas sentit. Quem
locum repetere nequeo. Est enim di-
sertior, grandiorque, quam vt illa ver-
borum pondera descriptura manus cala-
mum tenere possit. Dabo vero alium
locum, vnde quantus artifex, quantus-
que simul Philosophus Auctor sit, ap-
parebit (*). Sed fortasse nobis tem-
plum

(*) *p. 2. La Philosophie est l'usage de la raison, étendu à tout ce qui nous entoure, & ramène sur nous-mêmes: la philosophie est donc la science universelle, & toutes les autres ne sont que les branches de cet arbre immense dont les racines s'étendent sur la terre et dont le faite est le trône de la divinité. Je me représente un temple antique, dépôt sacré de toutes vérités. Là se conservent celles que le tems a découvertes & celles que le tems doit découvrir. Au fond du sanctuaire est l'être suprême; la métaphysique est à ses pieds enveloppée d'un nuage, qui les couvre tous deux: la philo-*

plum ab Auctore conditum intrare cupientibus, obganniet Auctor: *procul profani!* Nam eiusmodi mysteriis nos nunquam initiatos fuisse, patet.

Vtinam vero hoc Leibnitii elogio viris doctis Germaniae cupiditas injiceretur, dignum summi viri ingenio, doctrina, nomine famaque monimentum manibus Leibnitianis dicandi! Quod beneficium liceat patriis Musis ab illo viro postulare, qui ob reconditae doctrinae

 copiam,

philosophie détourne un oeil respectueux & le fixe sur la physique & la géométrie: séparées par un voile ces deux sciences s'avancent vers la métaphysique d'une démarche lente, mais sure: la philosophie observe l'une, guide l'autre et levant un coin du voile les rapproche sans cesse. L'histoire écrit près de la philosophie, que la morale accompagne, & la législation qui les suit, soutient la morale d'une main, tandis qu'elle étend l'autre sur l'univers! A la porte du temple est la fausse politique, qui baisse la vue: dès qu'elle apperçoit la philosophie elle change de visage. L'esprit systématique erre autour des sciences; il compte les vérités qui s'enchainent, contemple celles qui sont isolées & s'occupant à les réunir, il pense créer des vérités nouvelles & dérober à l'être suprême la chaine inconnue qui est toute entiére dans son sein.

copiam, acutissimi ingenii admirabilem vim, iudicandi sollertiam insignem vnus omnium optime hoc praestare potest. Et addam nomen viri! *Kaestnerum* et hoc nobis, Germaniae, posteritati concedat, et reliquis magnis de litteris meritis addat, oramus.

VII.

Christian Ernst Hansselmanns — Beweiss, wie weit der Roemer Macht, in den mit verschiedenen teutschen Voelkern geführten Kriegen, auch in die nunmehrige Ost-Fränkische, sonderlich Hohenlohische, Lande eingedrungen, dargestellt aus denen in solchen Landen noch vorhandenen, seit einiger Zeit weiter entdeckten, bisher noch nicht bekannt gewesenen merkwürdigen Römischen Monumenten und andern Ueberbleibseln etc.

Halae Sueuorum, ap. I. C. Messerer, 1768. pagg. 248. c. tab. aen. XVI. fol.

Multa antiquitatis Romanae monimenta reperta sunt in ea Germaniae regione, quae Francia orientalis ap-

pellatur,

pellatur, prope Nicri ripas, in comitatu praesertim Hohenloico, circa vrbem *Oehringen*. Quae non solum studiose collegit atque examinauit *Hansselmannus*, vir patriae historiae peritissimus atque pluribus doctrinae documentis inter nostrates clarus; sed vsus quoque iis est egregie, pro antiquitatis amore atque scientia, ad veteris Alemanniae historiam illustrandam. Vnde factum fuit, vt in hoc libro proferret multa, quae minus antea cognita essent, argumentisque nouis alia confirmaret, non satis quae certa viderentur. Quod quale sit, argumenti ipsius recensus docebit.

Primum igitur iam ante complures annos non procul vrbe Oehringa inuentum fuit praeter caput lapideum foeminae, eodem prope, quo Caesarum vxores apparent, capitis cultu, fragmentum lapidis, quod haec verba exhibet:

MAXIMINVS
X TRIB. POT III
OS. ET
B CAES

Vnde recte coniicit Vir Cl. hoc monimentum pertinere ad Maximinum Thracem, eumque in bello aduersus Germa- p. 3

 nos

nos vsque ad hunc locum progressum fuisse. Praeterea e verbis mutilatis ET NOB CAES. apparere putat, Maximini filium patrem in hac expeditione secutum esse. Ipsum vero monimentum ob victoriam a Germanis hoc loco reportatam positum videri, non quidem statim, sed aliquamdiu post, licet Maximinum in litteris ad Senatum datis rem incredibiliter auxisse addat, atque quam temere
p. 6. gloriatus sit, *quadraginta millia Germanorum vicos* se incendisse ostendat. Eundem quoque Maximinum non longius progressum fuisse in Alemannia, sed ista, vt putabat, praeclara victoria repor-
p. 22. tata in Pannoniam militem duxisse. Vbi regionis situ, qualis nunc est, delineato, atque hac tabula cum auctorum verbis comparata, quam perfecte omnia Herodiani et Capitolini narrationibus respondeant, docet. Porro alius lapis inuentus fuit, qui *Legionem VIII.* statiuas hic habuisse testatur, quam vna cum legione XXII. in Germania militasse notum est. Nam vtriusque nomen saepius occurrit, in numis praesertim. Quae monimenta cum Auctoris studium magis accenderent, nec quaerere destitit plura, nec fodiendi studium abiecit.

Mox

Mox igitur sepulchrum deprehendit Romanum, simillimum iis, quae Schoepflinus in *Alsatia illustrata* exhibuit, immo plures tumulos, vasa varia, fragmenta vrnarum, quibus cineres condebantur mortuorum, nummos, ossa. Fragmento p. 44
cuidam figlini operis inscriptum est: ALBINVS FE*cit*; et, quod memorabile est, seruatur Ratisbonae aliud vas cum titulo ALBINVS FI*gulus*. Animum vero aduertunt inprimis re- p. 46.
liquiae castelli Romani, praetoriique ibi conditi. Immo omnem regionem circa castellum domibus oppletam fuisse obseruauit, vnde vrbem non paruam ibi Romanos aedificasse putat. Inter nu- p. 52.
mos fuit etiam plumbeus licet corruptus aliquantum tempore. Pars aduersa caput habet Imperatoris laureatum, cum verbis IMP SEV ALEXAND. . . . in auersa Imperator paludatus, gradienti similis, sinistra hastam tenet: litteris vetustate exesis. Quem numum omnia antiquitatis integerrimae signa habere addit. Quo loco Vir Cl. eorum opi- p. 54.
nioni assentitur, qui diuturnam legionis cuiusdam Romanae in vno loco commorationem nonnullis Germaniae vrbibus ortum dedisse arbitantur.

 Maxi-

Maximam operam Auctor noster po-
p. 56. suit in vestigiis valli, siue limitis, a Ro-
mano milite per totam Alemanniam
ducti inueniendis. Hoc enim vallum,
opus, vt Schoepflinus ait, magnitudine
et maiestate Romana dignum, iam a
Doederleino inter nostrates descriptum,
accurate inuestigauit, omnesque quas illo
induerunt, regiones obseruauit, com-
memoratis sub finem libri, quae singu-
lis locis, quae ille limes attigit, reperta
sunt, antiquis monimentis. Reliquiae
quoque inuentae sunt balneorum; vstua-
p. 76. rii, plurium castellorum, alia, quae
accurate omnia ab Auctore commemo-
rantur. Vsus vero est, vt diximus, his
monimentis Vir Cl. ad veteris Germa-
niae historiam illustrandam. Quare
quae nunc sequuntur ad illam pertinent.

p. 108. Docte et accurate agit de bellis, quae
Romani cum Germanis in Germania, vt
dicunt, magna gesserunt. Nam et quid
Imperatores ante Maximini Thracis tem-
pora egerint, et qui in Germaniam im-
p. 121. petus post eum facti sint narrat. Iu-
lianum praesertim in tertia expeditione,
a. 360. suscepta, in eam, vbi haec mo-
nimenta inuenta sunt, regionem venisse
ibique pacem cum Alemannis fecisse
docet:

docet: visus Marcellini (L. XVIII. c. 2.) testimonio, minus recte a multis intellecto. Nam quod hic dicit: castra fuisse posita in regione, cui *Capellatii vel Palas nomen est*, intelligi ostendit vallum illud celebre Romanum, palis munitum, atque inprimis hanc regionem. Post eum nullum in has regiones penetrasse. p. 129.

His expositis ad aliam rem transit, et quae gentes cum ante notam, quae sec. V. accidit, populorum migrationem, tum post eam Franciam Orientalem incoluerint, quaerit? Alemannos enim non esse, ut quidam putant, ortos ab illis transfugis, qui sedes a Marcomannis relictas occupauerint, agrosque decumatos exercuerint. Hos fuisse potius subditos Romanis, inimicosque Alemannis. De Francorum origine, aduentu, nomine ea profert Auctor, quae illum diu multumque de hac re cogitasse ostendunt. Nec pauca adspersit de veterum Germanorum moribus, ritibus, religione. p. 131.

Nil vero vtilius est tabula XVI. quae Franciae orientalis faciem exhibet. In ea quousque Iulianus et Valentinianus

nus I. progressi sint, docet, sedemque Burgundiorum in Alemannia tempore horum Imperatorum indicat.

Equidem vehementer opto, vt, qui illis in regionibus agros habeant, curiose abditos terra thesauros scrutentur, nec, vt fieri solet, inuenta monimenta aut abiiciant aut corrumpant. Quod ne fiat omnium optime prouidere poterunt illarum terrarum domini, non exiguam hac cura gratiam a patriae historiae studiosis inituri. Nam, si ex iis, quae iam inuenta sunt, coniecturam facere licet, multa adhuc latere, probabile est.

VIII.

P. Rutilii Lupi de figuris sententiarum et elocutionis libri duo: recensuit et annotationes adiecit *Dauid Ruhnkenius*: accedunt Aquilae Romani et Iulii Rufiniani de eodem argumento libri.

Lugd. Batav. ap. S. et Io. Luchtmans, 1768. 8.

Corollarium, quod muneri oblato accessit, magis nobis placuit munere ipso. Loquimur de *Historia Critica Oratorum*

Oratorum Graecorum, in qua nobis cum argumentum ipsum, tum, qua illud exposuit, rationem, accuratam illam et idoneorum auctorum testimoniis munitam, probauit Cl. *Ruhnkenius*. Ad quam scribendam ideo animum appulit, quia Gorgias, cuius librum e Graeco vertit Rutilius, in summa exemplorum, quae decem oratores Attici suppeditabant copia, tamen permulta sumsit a Pythea, Demochare, Hegesia, aliis, quos ceteri rhetores aut negligebant, aut imitandos esse negabant. id quod fecit antiquissimorum rhetorum more, deinde mutato ab Aristarcho et Aristophane Byzantio, certum omnis generis scriptoribus delectum habentibus. Horum vero oratorum in historia contexenda hanc rationem sequitur Vir Cl. vt quorum memoriam Fabricius, Meursius, et Taylorus satis illustrarint, eos verbo tantum, propter historiae seriem attingat, quorum historia parum explicata videatur, de iis copiosius agat. Praeterea non omnes oratores recensuit. Ex ingenti numero tanquam florem delibauit eos, quos satis constat aliquid litteris mandasse et apud posteros oratorum laudem tenuisse.

Hoc in libello aliquot veterum scriptorum locis egregiam lucem affudit, atque etiam alia adspersit, quae animum doctrinae cupidum iuuant. Talis est viri doctissimi sententia de oratorum Graecorum vitis. Exstant enim, vt omnes norunt, vitae X. oratorum, quas
p. 47. Plutarcho quidam tribuerunt: id quod fecerunt temere et nulla idonea de caussa. Hunc librum Taylorus plenum fraudis, mendaciorum, errorum appellat. Noster vero, licet mediocrem in auctore iudicandi facultatem fuisse largiatur, eidem tamen summam fidem tribuit, summum veri studium. Sed suspicatur illum librum continere mera excerpta, nullo vel ordine vel delectu facta, ex Hermippo, Caecilio, Dionysio Halicarnassensi, aliisque deperditis vitarum scriptoribus.

Transeamus ad rhetores ipsos, quorum editionem Cl. *Ruhnkenius* adornauit, nescio an necessariam, et omnibus iucundam, luculentam tamen nec sine multo labore perfectam. Prioris quidem libelli auctor est Gorgias, non ille Leontinus, sed Atheniensis rhetor, Ciceronis filii in declamando magister. Cuius e quatuor libris Rutilius, qui sub

Augusto, vel certe sub Tiberio vixit, duo fecit. Nec ii ad nos integri pervenerunt, siue magistrorum fastidio, siue temporum iniuria mutilati. Ad hunc igitur Rutilianum librum vt, quantum fieri posset, emendatè redderet, vsus est Vir Cl. tribus codicibus manu scriptis atque inprimis tribus editionibus antiquis, quarum singulae, cum ex diuersis codicibus ductae sint, pro totidem codicibus haberi debent. Quae quidem cura eo magis necessaria fuit, quo turpius omnes editiones, quae post Stephanianam prodierunt, corruptae sunt. Nam vt Vir Cl. obseruat, quisquis tandem fuerit, cui Robertus Stephanus editionis curam delegaret, non ille boni viri fide cum Stephano egit, sed et ingenio et doctrina, qua hominem valuisse pluribus documentis patet, abusus est ad Rutilium eiusque comites foedissime lacerandos et interpolandos. quod vitiosissimum Stephani exemplar reliqui omnes, (nam summa erat de Stephani cura, fide, religione opinio,) sibi exprimendum sumserunt. Huic Rutilio ob argumenti similitudinem addidit Vir Cl. Aquilam et Rufinianum, quorum ille superior videtur aeuo Constantini,

huius

huius mentionem facit titulus lapidis antiqui. (apud Maffei Veron. ill. P. I. p. 360.)

) „Erunt profecto, qui intellecto argumento libri, tritam et iniucundam de figuris cantilenam habentis, summoque studio Editoris animaduerso, quod ad corrigendos, explicandos, illustrandos hos rhetores contulit, mirentur, non vtiliori labori operam suam addixisse nostrum. Non habemus, dicent, Platonis editionem, quae et parabilis sit, et lectorum multorum studiis apta. Quot restant in Pindaro, quae illius lectionem nobis difficilem et obscuram reddant! quamdiu iam Apollonium Rhodium, Pausaniam, alios, ne de Latinis quidquam dicamus, exspectauimus? Cur igitur in his rhetoribus, nil nobis narrantibus, nisi quod omnes norunt, explicandis tempus consumsit, vir eruditus, quod multa cum maiore et nominis fama et litterarum vtilitate, in nobiliore opere consumere poterat. Horum igitur hominum querelae quid responsurus sit, ipse Vir Cl. videat. Certe praeuidisse videtur illas. Nam in praefatione. "Non figurarum ratio, inquit, „millies in scholis decantata, sed pulcher-

„rima

„rima maximorum oratorum exempla,
„quibus intuendis imitandisque plus ad
„eloquentiam proficitur, quam omnium
„Rhetorum praeceptis cognoscendis,
„hanc apud nos vim habuerunt, vt Ru-
„tilio temporis aliquid impertiremus.
„Quibus exemplis multum commenda-
„tionis accedit ex eo, quod non solum
„decerpta sunt ex oratoribus, qui ma-
„gnam partem interciderunt, sed etiam
„de Graecis sic facta Latina, vt Ruti-
„lius cum Cicerone, quem iuuenis se-
„nem videre potuit, certasse videatur."
Sunt in his, fateor, quaedam, sed non omnia. Poterat, largiemur enim hoc, libellos hos edere; poterat in emendanda lectione operam singularem ponere. Opusne vero fuit iis animaduersionibus, quas illis addidit? Nam modo copiose formulam quandam dicendi exquisitam explicat, modo similia scriptorum loca colligit, modo alios scriptores illustrat et emendat: vno verbo, non poterat, si Ciceronis editionem adornaret, luculentius et liberalius agere. At ostendunt hae animaduersiones accuratam Latini sermonis scientiam, quis negat? immo multa legisse Virum Cl. multaque in commentarios suos retulisse, ingeniose

etiam Anthologiae Latinae quaedam carmina correxisse addo. Sed quis credat, omnes has diuitias vt Rutilii, Aquilae, et Rufiniani libelli illustrarentur, profundendas fuisse?

IX.

Io. Augusti Ernesti Archaeologia Litteraria.

Lipsiae, impensis Casp. Fritsch. 1768. pagg. 127. 8.

Cum ea antiquitatis cognoscendae ratio, quae instituta veterum populorum, ritus sacros ciuilesque, atque mores publicos et priuatos persequitur, a multis explicita sit atque tradita, eodem studio alteram antiquitatis partem illustrari optabile est, cui operum antiquorum, quae ab artibus nata, reliquiae subiectae sunt, cuiusque cognitione ingenii elegantia comparatur, sensus elegantiae acuitur, iudicium de vera operum pulchritudine formatur, liberaliorisque eruditionis copia augetur. Hanc doctrinam Vir Cl. *Ernesti* appellat *Archaeologiam litterariam*, eaque opera antiqua, cum litte-

rata, tum litteris carentia complectitur. In illo genere ponit codices scriptos, chartas, nummos, titulos: in hoc picturas, scalpturas, statuas, vasa aliaque artificum opera. Omnibus vero in operibus cum et materia spectetur, et, quae arti propria est, forma; omnem doctrinam in duas partes descripsit: prima ad materiam operum antiquorum pertinet, ad chartas et scripturam, marmora, gemmas et alios lapides, metalla, ligna, alia: altera genera ipsa operum, ad eruditionem liberalem et elegantem instillandam, persequitur. Neque vero melius rationem viri Clarissimi nos explicituros esse putamus, quam ipsis, quibus hac in re usus, verbis repetitis, praesertim cum inde quoque appareat, quo dirigi velit iudicium ab iis, qui de hoc libro sententiam ferant. "Non equidem negem, inquit, in toto illo instituto spectatum a me esse id, ut ingenia adolescentium aliquem vel sensum vel amorem illius elegantiae et pulchritudinis caperent, quae in operibus artium antiquis laudari solet, et ii, qui essent a re familiari instructi satis, ad discendam artem lineares allicerentur, qua maxime acuuntur oculi ad indi- *Praef.* p. 7.

,,tum pulchritudinis in operibus aspecta-
,,bilibus sentitur: sed multo magis vide-
,,bam ea, quae ad literaturam et doctri-
,,nam usum praeberent. Primum quod
,,solebant allicere studiosos, atque adeo
,,adducere ad partem difficiliorem anti-
,,quitatis et literarum Graecarum Lati-
,,narumque cognoscendarum, quae ad bo-
,,num genus antiquitatis intelligendae opus
,,est, praesertim si e fontibus haurire,
,,aut scriptores veteres ipsos consulere,
,,omninoque eos intelligere velis, cum
,,de talibus operibus et artibus loquun-
,,tur, quod faciunt non raro; nec modo
,,ii, qui proprie Graecae et Latinae lin-
,,guae auctores dicuntur, sed etiam ec-
,,clesiastici, ut Clemens Alexandrinus,
,,Tertullianus et alii. Deinde memoriam
,,et studium omnium monumentorum
,,veterum, praesertim literatorum, inci-
,,tare illi sperabant posse, ut ad eorum
,,usum in vario genere doctrinae prae-
,,cepta et exempla adhiberent. Nobi-
,,lia denique librorum meliorum in
,,omnibus generibus antiquitatis ope-
,,rum et in aliis partibus doctrinae libe-
,,ralis [illegible] ac
,,studium historiae literariae [illegible]".
Haec Cl. *Ernestius*, [illegible]

rem

rem multis gratam et iuuentuti utilem feciſſe arbitramur. Nam et iis, qui ad cognitionem aliquam operum antiquorum iuuenes adducere velint, librum tradidit, inſtitutioni ſcholaſticae accommodatum, et multa comprehendit, per multos libros ſparſa, nec ſine labore cum colligenda a magiſtris tum in certa capita digerenda. Interim obſeruauimus nimis interdum breuitati ſtuduiſſe Virum Cl. atque omiſiſſe nonnulla, quorum explicationem ab illo nos merito expectare poſſe credebamus. In primis in notitia librorum tradenda liberaliorem fore ſperauimus Virum Cl. cum, qui huc pertinent, libri et ſplendore externo ſe commendent et charior plurima pars ſit, quam vt a multis comparari queat. Incidimus etiam aliquoties in ſententias Viri Cl. quibus aſſentiri non licuit. Sed hoc quale ſit melius intelligetur ex ipſo capitum recenſu.

In *primae* partis capite *primo* agit Vir Cl. de ſcriptura antiqua, ita, vt ab antiquiſſima ratione ordiatur, tum ad Phoenicium litterarum genus tranſeat, à quo omnem aliam ſcripturam, Graecam et Latinam ductam eſſe exiſtimat, (mox Graecas, Etruſcas, Aegyptiacas, Latinas ſcriptu-

scripturas attingat, formam scripturae, pronunciandi distincteque legendi signa, compendiorum scribendi vsum, notas, et instrumenta scribendi commemoret. ¶ In Latinarum litterarum antiquitatum exemplis afferendis non erat praetereundum L. Scipionis, Barbati F. elogium a Sirmondo illustratum (*). Qui vero in columna Duilliana exstat, hunc non retulerim titulum. valde enim probabile videtur, licet antiquo tempore positum, tamen diu post rem gestam, hoc monumentum renouatum fuisse. Interpunctionis quod Vir Cl. vestigia ante quartum seculum in libris reperiri negat; et interpunctionem veteribus memoratam ad lectionem et vocem pertinere, non ad scripturam, dicit, videtur huic sententiae Asconii et Probi apud Suetonium auctoritas aduersari. Vterque enim maiorem huic rei aetatem tribuit, vt Funccius obseruat (**). Nil vero clarius arbitror ad hanc litem dirimendam loco Ciceronis (†): *Versus enim veteres illi — adhibendos putauerunt.* *Inter-*

spira-

(*) v. Graeuii Thes. Antiqu. Rom. T. IV. p. 1832.

(**) de scriptura veterum c. 5. p. 160.

(†) de Orator. L. II. c. 44.

spirationis: enim non defatigationis nostrae, neque librariorum notis, *sed verborum et sententiarum modo interpunctas clausulas in orationibus esse voluerunt.* Qui locus ostendit, iam tum quaedam librariorum signa excogitata fuisse. — Hieroglyphicas Aegyptiorum scripturas non puto ad *notas* referri posse. Erant enim illa signa *ad celeritatem scribendi iuuandam inuenta*. id quod de hieroglyphicis signis dici nequit, longe alia de causa excogitatis. — *Pennarum* vsum in scribendo, vt veteribus non omnino ignotum fuisse credam, non efficit quidem Iuuenalis locus, qui aliter, ac vulgo fit, explicandus est, sed locus Isidori a Montefalconio allatus: *Instrumenta scribae calamus et penna. — calamus arboris est, penna auis* (L. V. c. c. 14.) — Quae de vsu minutioris scripturae, antiquioribus non ignoto, dicit, ea confirmari possunt pictura Herculanensi, in quo minuscula litterarum forma apparet (*). — Ad hoc caput pertinebat etiam historia signorum, quibus numeri indicantur. Nec immerito fieri mentio debebat Mabillonii, de variis

 scriptu-

(*) v. *Le Pitture antiche d'Ercolano.* Vol. II. t. IX.

ſcripturarum veterum generibus praeclare agentis (*), atque Henn. Hugonis, egregie a Trotzio aucti et illuſtrati.]

Cap. II. de marmoribus. Marmoris cum ſit ad artes commendatio vel ab duritie vel a pulchritudine, vtrumque attingitur. Tum vſum illius multiplicem Auctor, et genera enarrat. [Nimis breue hoc caput nobis videtur. Primum deſideramus in Indice generum marmorum variorum ſit accuratam diligentiam, quae primum genera marmoris vnicoloris et variegati diſtingueret, deinde ad vnumquodque ſuas ſpecies referret. Sic ad nigri marmoris genus non referendum erat Thebaicum, cuius ſunt duae ſpecies (**). Baſaltae non vnum ſed duo genera Winkelmannus commemorat, alterum nigrum, ſubuiride alterum (†). Deſidero etiam marmor caeruleum, marmor vnicolor liuidum et marmor vnicolor Venetum. nec Thaſium marmor memorari video. — Dum vſum marmoris Vir Cl. explicat, etiam edicta et titulos illis inſculpta

(*) v. L. I. c. XI. operis Diplomatici.

(**) v. Io. Argolus ad Onuphrium Panvin. de ludis Circenſibus c. 27. in T. IX. Theſ. Graev. p. 251.

(†) v. *Geſchichte der Kunſt.* p. 164.

insculpta fuisse (*), etiam columnas milliares fuisse marmoreas (**), addere poterat. Ad artem vero marmora coloribus pingendi praeter libellum du Fay (***) pertinet egregia Caylusii dissertatio (†). — Vellem etiam Vir Cl. quomodo variis generibus marmorum usi sint veteres artifices, paucis indicasset. Porphyriten non statuis aptum iudicatum fuisse Plinius narrat (††). Immo Statuas ex hoc marmore factas alius marmoris capita, manus, et pedes praeferre observat Winkelmannus (†††).]

Cap. III. de gemmis ac aliis lapidibus nobilioribus. vbi recte Vir Cl. veterum in hoc genere vitia notat: "Primum „quod gemmas non satis distinguunt „characteribus idoneis, vnde eorum de„scriptiones interdum non sufficiunt ad

(*) v. Heineccius in Histor. Edictor. L. I. c. 2. §. 4. et c. 9. §. 6.

(**) v. Schoepflini Alsat. illustr. Vol. I. p. 547.

(***) v. *l'histoire de l'Academie Royale de Sciences pour l'année* 1728.

(†) v. *l'histoire de l'Academie des Inscript.* T. XXIX.

(††) H. N. XXXVI, c. 7. add. Blas. Caryophil. p. 35.

(†††) *Geschichte der Kunst* p. 257.

„diſtinguendum et agnoſcendum genus
„quodque: alterum, quod non ſatis di-
„ſtingunt genera diverſa: tertium, quod
„iis ſaepe vim commentitiam tribuunt
„etiam in medicina." Ipſe eam diſtri-
butionem ſequitur, quae a varietate co-
lorum ducitur. Quo indiculo dato de
margaritis loquitur, de ſuccino, de co-
rallio, vaſis murrhinis, amianto, lapide
ſpeculari. [Alabaſtriti etiam locus dan-
dus erat, e quo ſigna quoque confecta
ſunt (*). Non vero murrhina in ge-
nere gemmario poſuerim. Immo ex
ipſo Plinii loco, quo Vir Cl. nititur, ea
vaſa Porcellana fuiſſe, omniaque, quae
veteres de murrhinis narrant, in Por-
cellana Sinenſium optime convenire,
egregie oſtendit Mariettius (**). Nec
tacendum erat, ſculptores antiquos venas
gemmarum ſaepe ſpectaſſe, iisque ad
aliquam quaſi picturam gemmis ſcalptis
conciliandam uſos fuiſſe. Eiusmodi
gemmae exſtant quam plurimae.]

Cap. IV. de metallis: iſt eſt, de auro,
argento, orichalco, plumbo, ſtanno,
ferro,

(*) v. Winkelm. l. c. p. 63.

(**) v. *Traité des pierres gravées* T. I.
p. 218.

ferro, [vbi vellem varia aeris genera commemorata fuissent (*).

Cap. V. de varia materia operum antiquorum. Huc refert Vir Cl. ebur, testudinem, acanthum, citrum Africanam, cedrum, cyparissum, alia ligna. [Pertinet huc etiam Gypsum, e quo imagines multas olim factas fuisse, loca Plinii (**) et Iuuenalis (***) testantur. Immo gypseas imagines coloribus quoque tinctas fuisse, Bacchi Statua ostendit a Pausania (†) memorata. Nec omittenda est mentio concharum, quibus sculptores veteres vsi sunt. qualia opera etiam ad nostram aetatem peruenerunt (††). — De coloribus nimis pauca dicit, vix aliquot versus huic doctrinae impensis. Ablegamus lectores ad Schefferi librum (†††) etiam, quia Latine scriptus est, scribendique de his rebus Latine facultatem auget, iuuentuti commendan-

(*) cf. Iunius de pict. veter. L. III. c. 12.
(**) H. N. XXXV, 5. 44.
(***) Sat. II, 4.
(†) L. IX. c. 32. p. 773. ed. Kuhn.
(††) v. Caylus Recueil. T. II. p. 25.
(†††) Io. Schefferi Graphice, id est, de arte pingendi lib. singular. p. 154. sequ.

mendandum.] Haec de prima libelli parte.

Veniamus ad *alteram* partem. *Cap. I.* de libris ſcriptis, vbi deſcribitur voluminum forma, tum de quadratis libris agitur, de chartis membranaceis, de tabulis ceratis, de ornatu librorum, de antiquiſſimis libris Hebraicis, Graecis et Latinis, illorumque indiciis, de codicibus reſcriptis. Porro quomodo aetas codicum iudicari poſſit, Vir Cl. docet, recentiore aetate multos libros, etiam qui iam editi eſſent per typographos, etiam ex ipſis typographicis exemplis deſcriptos fuiſſe, monet: talem eſſe codicem, qui Berolini eſt, Rauianum: vnde notitia codicum ſpeti debeat? quae ſit vtilitas inſpiciendorum codicum? [Forte Viro Cl. de codicibus Latinis ſcribenti: "e ſe„culis a Chriſto nato prioribus codex „ſcriptus extat nullus; ſuntque anti„quiſſimi fere Gothicae aut Langobardi„cae aut Carolingicae aetatis" memoria exciderunt tres Virgilii codices, quorum duo Vaticani ad ſeculum IV. et V. pertinent, tertius ſub finem ſec. V. exaratus eſt. Si Vaticanum codicem illiusque picturas, a Petro Sanctio Bartolio euulgatas, recordatus fuiſſet, accuratius

forte

forte, vtnunc de imaginibus codicum iudicaturus erat, quam factum esse videmus (38).]

Cap. II. de titulis, tabulis legum, decretorum et finibus, vulgo inscriptionibus. Primum recenset eos, qui titulos antiquos ediderunt, [in quibus praeter alios, Corsinii *Inscriptiones Atticas*, Ferretii *Musas lapidarias* Malvasiae *Marmora Felsinea*, Gorii *Inscriptiones antiquas Graecas et Romanas* desidero] quin attingit antiquissimas omnium, in insulae Cypri vrbe Citio repertas, Phoeniciis exaratas literis, Graecas et Latinas [poterat etiam bilinguia, vt antiquarii appellant, saxa attingere, id est, eos lapides, qui simul Graecum Latinumque titulum praeferunt. (*)] porro commemorat argumenta titulorum [vbi imprimis locus dandus erat Kalendariis priscis, e marmoreis tabulis descriptis numquamque a multis (**)] denique vsum inscriptionum antiquarum explicat, et quomodo de genuinis iudicium ferri debeat, tradit.

Cap.

(*) v. Spanhem. de Vs. et Praest. Num. Vol. I. p. 107. et Hagenbuchii Diatr. de Graecis Marmoribus p. 2.

(**) v. Graev. Thes. T. VIII.

Cap. III. de diplomatibus: quo nomine omnis generis litteras publicas Vir Cl. complectitur. Initium facit a texenda historia studii diplomatici enarrandisque eorum nominibus et operibus, qui de Critica diplomatica scripserunt. [Famosae controuersiae diplomaticae primordia rectius accessenda erant a Godofr. Henschenii libello *de tribus Dagobertis*, iam a. MDCLV. edito. Optime totam rem exposuit, qui inprimis hic laudandus erat, quoniam historiam diplomatici studii copiose exponit auctoresque praecipuos commemorat, Io. Peter Ludewig (*). Dandus etiam erat aliquis locus inter eos, qui hanc eruditionis partem scriptis illustrauerunt, Fontanino, Ruinarto, Gatto, Lazzarino, inprimis Petro Coustantio, fidem diplomatum asserentibus.] Tum, cum insignum, qui diplomatibus inest, fructum percipere nequeamus, nisi recte iis vtamur, breuiter docet Vir Cl. quomodo et recte legere atque intelligere, et spuria a genuinis distinguere debeamus.

Cap. IV. de re numaria. Agitur de variis populis, qui numos cuderunt; de [illegible] anti-

(*) v. Praef. ad Reliquias Manuscript. T. I.

antiquissimis nummis [illum Phidoniarum nummum, a Begero exhibitum multo recentiorem esse, et operis elegantia docet, quae in prisca illa tempora non cadit, et aliis quoque argumentis ostendit claro Vir praestantissimus, Bartholomaeus. (*)] de nummorum Graecorum et Romanorum materia, magnitudine, et partis vtriusque argumento: de vsu nummorum veterum multiplice, cum ad iudicium artis et elegantiae, tum ad omne genus doctrinae liberalioris. [Illud opus quod Ludouici XIV. numos continet, si inuentio spectatur symbolorum, emblematum et titulorum, non ea laude mihi dignum videtur, quam tribuit illi Vir Cl. qui imitationem antiquitatis in eo agnoscit. Quid magis abhorret veterum simplicitate, illa ventosa titulorum arrogantia, quae plerosque Ludouici numos deformat? In symbolis etiam inueniendis saepissime lapsos esse Gallos, potest multis exemplis ostendi, et notauit passim Koehlerus in Amoenitatibus Numismaticis.] Porro docet Vir Cl. quomodo numos bene intelligi, et ad

(*) v. *Recherch. sur quelqu. Medaill. dans les Mem. de l'Academ. des Inscript.* T. XXVI. p. 542.

ad vsus eruditos conferri debeant. [Lieschori libellus *de vsu numorum in studio theologico* non multa continet, quae ad illius lectionem quenquam inuitare possint. Idem argumentum copiosius et disertius, immo maiore cum doctrinae apparatu tractauerunt Grainville (*) Wedelius (**) et Gottlob Erdm. Zeibichius. (†)] Vltima capitis pars ad rem librariam spectat. [Vellemus attigisset Vir Cl. plura, quae huc pertinent quaeque nosse iuuentutis interest. Qualia sunt, de numis restitutis, serratis, adulterinis, pelliculatis, de ratione, numos antiquos digerendi. de quibus omnibus nil dixit. Praeterea in indice librorum splendidissima opera desideramus: Museum Farnesianum, Numismata Musei Pisani, olim Corrarii, numismata musei Florentini, numismata maximi moduli

(*) *Lettre sur l'usage qu'on peut faire des medailles par rapport à la religion dans le Journ. des Sçavans* 1716. *May*, p. 565.

(**) differt. de numis noui Testamenti in Exerc. Medico-Philolog. Art. II. Cent. II. Dec. I. Exerc. VII.

(†) Obseruationes ex numis antiquis sacrae. Vitemb. 1745.

duli ex Museo Alex. Albani in Vaticanam bibliothecam translata, alia.]

Cap. V. de toreutice. Praemittuntur pauca de pictura lineari. Toreutice, quae caelo vel scalpro efficit e ligno, saxo, aut alia qua duriore materia figuras, antiquissima est. Continet illa statuariam in saxo et marmore, caelaturam in eadem materia, in gemmis, metallis, ebore scalpendis, denique sculpturam in ligno. Eius initia et progressus narrantur. [vbi miror Virum Cl. saepius refutatam opinionem secutum esse, Graecos ab Aegyptiis artes didicisse, id quod quam falsum sit Winkelmannus (*) docuit.] Tum ingenium operum Aegyptiorum, Etruscorum, et Graecorum describitur: [Quod Vir Cl. Etruscis ab rudiore ratione ad meliorem transeuntibus *expressionem partium minus diligentem* tribuit, errat procul dubio. Non recordatus fuisse videtur, nimis diligentes fuisse eos artifices in exprimendis ossibus et venis, atque hac ratione opera sua reddidisse dura. Certe illam expressionem partium acriorem ostendunt monimenta illius aetatis.] scholae

(*) *Geschichte der Kunst.* p. 5. et 8.

lae artificum commemorantur, nobiliores quidam artifices Graeci et clara opera. Figuras e materia solida integras et seiunctas ab alio corpore excipiunt e superficie vel tabulae marmoreae, vel eboris, vel vasis ita exstantes figurae, vt partem modo aduersam ostendant. [quo loco miramur Cl. Auctorem non accuratius prominentiae istius diuersos gradus recensuisse, nec commemorasse quaedam opera anaglyptica, toto orbe celeberrima, non columnam Traiani, non columnam Antonini Pii, non Apotheosin Homeri, non alia. In vniuersum hoc capite Auctor de supellectile veterum, quatenus illud operum genus ad ingeniosam artium pulchritudinem pertinet, agere debebat. Quis enim ignorat, in omnibus, quae effingerent, domesticis operibus, veteres elegantiam spectasse, manusque et ingenii laudem captasse artifices? Iuuentutis vsibus Causeus suum opus (*) accommodauit, quod multum augeri potest. Praesertim duplex operum genus attingendum erat: primum lucernae, in quibus effingendis miram

(*) Mich. Angeli Causei de la Chausse Romanum Museum. ed. II. Romae 1746.

ram ponebant venuſtatis curam, vt oſtendunt opera Petri Bellori, Cauſei de la Chauſſe et Paſſerii, quibus lucernarum, quarum eſt ſumma varietas, non paucarum exquiſita venuſtas, imagines euulgauerunt: deinde candelabra, figuris caelatis egregie ornata, qualia ſunt illa duo in aedibus Barberinis (*) et aliud a Cauaceppio refectum (**). Haec ſi negligimus opera, magnam elegantiae et artificii veterum partem negligimus.] His expoſitis tranſit Vir Cl. ad Glypticen, ſiue gemmarum ſculpturam: [vbi accuratior ſcalptorum index dari poterat e Stoſchiano opere. nam praeter Pyrgotelen et Dioſcoridem nullum nominari iniquum fere eſt. Nec Gorlaeus *primus* inſtituit gemmas ſcalptas edere. Longe ante prodierat Le-Poiſii liber, iam raro obuius, non paucis gemmis ornatus (†). Sed minime omnium in hoc capite librorum index placet. Praeſtantiſſima opera

 omiſſa

(*) v. Winkelmanni Monumenti antichi inediti. c. XII. fig. XXX.

(**) v. *Raccolta d'antiche Statue Baſti, Baſſirilievi ed altre Sculture reſtaurate da Bartol. Cavaceppi* Nr. XLIX.

(†) *Antoine le Pois Diſcours ſur les Medailles & Gravures antiques.* — Paris 1579. 4.

omissa sunt: ne Mariettii quidem, principis in hoc genere auctoris, mentio facta, contra, qui vnus omnium optime omitti poterat, Ebermaierianus Thesaurus laudatus. Notum vero est non solum gemmas, quas ille exhibet, esse recentioris operis, a Dorscheo sculptas, sed etiam ab imperito homine laminis aeneis lineae inscriptae sunt. nil potest adspici deterius peiusue. Praeterea, illud opus ob ridiculas Baieri viri fortasse docti, sed his profecto in litteris hospitis, explicationes minime iuuentuti commendandum est: frustra intigiente Norinbergae filio Baieri, Iacobo, bono eo quoque Iacobo, sed hercle! nec ingenioso, nec bello homine.] Denique progreditur Vir Cl. ad genus artificii veteris in vitro caelando vel scalpendo, laudatque vasa e vitro caelata. [tanquam luculentissimum omnium exemplum laudare poterat vas, in frumentarii montis arca sepulchrali inuentum, plenum cineribus, excellentissima sculptura insigne quauiunque voce celebratum (*).]

Cap. V. de plastice; ad hanc refert primum figlinam, [vbi commemoranda [illegible] erant

(*) v. Veterum Sepulchra delineata a Petro Sanctio Bartolio. p. 71.

erant vasa Etrusca, siue linearum veritatem, colores, formarum varietatem et gratiam spectes, siue argumentum picturae, egregia, quorum non paruam partem e Museo Hamiltoni, Angliae ad regem Siciliae legati, nuper prodiisse laetamur (*)] tum eam, quae ceram tractat, denique e metallo liquefacto simulacra fundentem, siue statuariam. [Magnitudinis statuarum, non duo, sed tres gradus poni debebant. Nam et infra humanam staturam statuae fingebantur. de quo copiosius egit, cuius liber omnino totum hoc caput egregie illustrat, Edmundus Figrelius (**).]

Cap. VII. de pictura. De antiquitate picturae agitur [apud Homerum picturae vestigium esse *omnino nullum* non mihi persuaderi patior. Nam si ea loca recordor, vbi mentio fit peplorum, quibus variis coloribus intextae erant figurae (†) probabilis mihi videtur eorum

O 3 opinio,

(*) *Collection of Etruscan, Grecian and Roman Antiquities, from the Cabinet of the Hon. Wm. Hamilton Neapoli,* 1768. fol.

(**) de Statuis illustrium Romanorum liber singularis. Holmiae, 1656.

(†) v. c. Iliad. XXII, 441.

opinio, qui eiusmodi operibus picturam priorem fuisse arbitrantur. Facit huc etiam clypeus Achillis, in quo variis coloribus multas res fuisse exhibitas Homerus dicit. Nonne verisimile est, vsum colorum et penecilli antecessisse aeris huius variegati vsum? Denique nescio an quisquam obseruauerit eum locum, vbi mulier ornamentum equi, ex ebore factum, purpureo colore tingere dicitur (*), cui loco in hac lite dirimenda aliquam vim inesse puto] de monochromatis picturis, de colorum varietate, de encausto, de picturis in sicco et in vdo tectorio, de picturis, cera obductis, de picturis in vitro, de materia tabularum pictarum, de pictoribus clarissimis, qui artem variis inuentis auxerunt. Tum perfectionem artis Graecae cognosci a nobis satis posse recte negat, et reliquias attingit picturae veteris.

Cap. VIII. de Architectura. Quo in capite Vir Cl. exponit de inuentione et initiis illius, de materia aedificiorum, de ingenio architecturae Aegyptiacae, Graecae et Romanae, operibusque claris, de ordinibus columnarum, de porticibus, scalis, fastigiis, et pauimentis tessellatis,

(*) Il. IV. 141.

tis, id quod occasionem illi praebet, de operibus musiuis dicendi. [cum Praenestini mentionem iniecerit, multo magis commemorari debebat opus vermiculatum in villa Hadriani repertum, et columbas exhibens (*), cum idem esse videatur, quod Plinius laudat (**).] Quae sequuntur pertinent ad ornatum parietum, ad tecta laqueata, ad aedium priuatarum descriptionem, et historiam architecturae [Viguisse illam dicit Vir Cl. Caesarum aetate prima, post, seculo secundo, per κακοζηλίαν corruptam, magis in dies vitiosam factam fuisse, id quod non subtiliter satis dictum videtur. Certe architectura iis temporibus floruit Romae, quibus pictura et statuaria exspirauerant. Caracalla et Diocletianus opera tantae magnitudinis exstruxerunt, vt de aliis taceam, quae admirationem posteritatis concitauerunt.]

Haec de libelli argumento nobis dicenda esse putauimus, ea vsi libertate, quam Viro Cl. non displicituram esse nobis persuasimus. Quis enim illo melius nouit docuitque scriptis et exemplo,

 non

(*) additum est Ficoroni Gemmis antiqu. litterat.

(**) H. N. XXXVI. c. 25.

non exiguam humanitatis partem in aliorum dissensu non illubenter ferendo positam esse? Quare etiam sententiam nostram libere dicemus de loco quodam praefationis, praesertim cum talis esse videatur, qui ab iniquioris animi aut imbecillioris iudicii hominibus facile in quorundam inuidiam trahi possit. "Non „alienum, inquit vir praestantissimus, „arbitror, effundere dolorem quendam „meum, et querelam non iniustam, vt „opinor; si possim occurrere malo la„tius in dies serpenti et seueris studiis „doctrinae liberalis prope perniciem mi„nanti:" Tum exposita vera antiquariae scientiae indole pergit: "Enimvero sensi, et sensere alii, multos coepis„se ab aliquo tempore ex hac ratione „decerpere, quod esset facilius, et magis „sensu quam labore constaret, hoc est, „quod ad pulchritudinem figurarum et „sententiarum, vtcunque intellectarum „spectaret, vt in fabulis, maxime sce„nicis, carminibus aliis, itemque reli„quis generibus ingeniosis scribendi: has „*bellas literas* vocari, nouo more, et „prope eo rem redigi, vt literae bellae, „etiam *scientias pulcras* vernaculo ser„mone appellant, scenae maxime ser-

„viant,

„viant, fabulisque scenicis iudicandis et „scribendis, earumque arti, venustati vel „sublimitati in sententiis intelligendae, „et vt, loquuntur, gustandae: dum inter„ea veteres illae literae bonae et huma„niores, quia labore constant, et doctri„nis literarum prosunt, vel negligan„tur penitus, vel tractentur remissius et „negligentius. Quae ratio, muliercu„lis aptior quam viris, fortasse in ea„rum gratiam instituta, vt in commu„nionem literarum veniant et ipsae, „vt ipsarum ac iudiciis laudibus floreant „belli homines, haec igitur ratio si la„tius serpat ac diutius valeat, magnam „calamitatem literis bonis afferet." Haec Cl. *Ernesti*, qui an certos homines aut vrbes certas respexerit, nescio. Nec fas esse duco, quae ipse apertius dicere noluit, coniectura assequi velle. Potius, quae nostra sit de querelis his sententia, explicabimus. Iam primum lubenter viro doctissimo assentior, diligenter Graecos et Latinos scriptores legi atque ad accuratam linguarum scientiam ad intelligendos eosdem iuuentutem adduci debere. In ipsa vero scriptorum lectione duo spectanda esse puto, primum vt, quid recte, eleganter, venuste

 et

et magnifice dictum sit, intelligamus sentiamusque, immo causas reddere discamus, cur alia placeant, displiceant alia, tum vt easdem virtutes felici imitatione exprimere studeamus. Hanc vero quis dicat nullo, nisi Latino, sermone, fieri debere? Patrii sermonis quis non largiatur curam et dignam esse viro docto atque ingenioso, et necessariam? Immo egregie mereri puto de litteris, de patria, nostrorumque hominum ingeniis, qui e diuturno, quod cum antiquis scriptoribus iniuerunt, contubernio hunc fructum referant, vt, quas in iis admiramur, Veneres ipsi in suis scriptis reddant, quamque illi suae aetatis hominibus, illam nostro seculo elegantia iudicandi, dicendi scribendique vtilitatem adferant. Nec solum orationibus, historiis, carminibus sed fabulis quoque scenicis id fieri posse et debere patet. Scenicas fabulas magnam habere vim ad emendandos, poliendos recreandos hominum animos quicunque fatetur, (nec esse puto, qui aliter de iis sentiat, ingeniosum hominem) ille profecto non Latino sermone, sed populari fabulas agendas esse largietur. Iam si Plauto, si Terentio, si Menandro,

dro, aliis laudi fuit, bonas fabulas scripsisse, quidni ii quoque inter nostrates celebrentur, qui felicem fabulis scribendis operam dederunt? aut quomodo negemus, eos summo cum fructu veteres scriptores legisse, dum eiusdem laudis aemulos se ostendunt, immo quo propius ab illorum praestantia aliquis absit, eo maiori iure illi locum inter praeclaros Latii Graeciaeque scriptores dandum esse? Equidem libere fateor, si quis popularium nostrorum ad Terentii aut Sophoclis praestantiam accedat ita, vt fabulis scriptis de palma certare cum iis possit, hunc summum, qui cogitari queat animoque fingi, e Sophoclis, Terentii aliorum scriptis, fructum percepisse, eodemque, quo illi, loco habendum esse existimo. Quare nolo reprehendi aut deterreri eos, qui ad eandem laudem adspirent, patriaeque nostrae praeclarorum ingeniorum laudem conciliare conentur. Video enim eos in lectione veterum auctorum nil aliud spectare, quam quod ipsis vtile, patriae honorificum sit. Atque etiam in artium studio operumque, quae ab artibus illis ingeniosae pulchritudinis profecta sunt, cognitione, hoc puto

cuiuis

cuiuis propositum esse debere, primum, vt oculi animusque ad rectum de vera operum elegantia iudicium ferendum conformentur, deinde vt res antiquas ipsas, quae verbis explicari non sat perspicue possunt, cognoscat scriptoresque antiquos, vbi de talibus rebus loquuntur, intelligat. Sed maiorem hanc esse vtilitatem illa, quam primo loco posuimus, non mihi persuaderi patior. (p. 81.) Namque illa pulchritudinis artisque intelligendae facultas se in ipsa vita exserit: immo in supellectile nostra, in vestitu, in aedibus nostris vim suam ostendit ita, vt non solum venustiora omnia reddat, sed aptiora etiam vsibus nostris, atque commodiora.

Haec mea est ratio, quam si intelligentibus rerum arbitris placere animadverterim, impense laetabor. Istos vitio creatos censores, qualis est ille sacrificulus Liuoniensis, Satyri qui persona sibi imposita in *sylvis*, vbi feras inter et noctuas habitat bubonisque cantu delectatur, *Criticis* histrionem agit ridiculum, nec curaui vnquam nec curabo.

CEN-

X.

CENSVRAE LIBRORVM MINORES.

I.

Ιωσηφ Μοναχε του Βρυεννιου τα ευρεθεντα αξιωσει του υψηλοτατε και ευσεβεστατου πρωην ηγεμονος Μολδοβλαχιας Κυριου Κυριου Γρηγοριου Αλεξανδρου Γκικα Βοεβοδα δι' επιμελειας Ευγενειου Διακονου του Βουλγαρεως ηδη το πρωτον τυποις εκδοθεντα. Lipsiae, excud. Breitkopff 1768. Vol. duo. 8. Qui iam plura laudabilis studii, de patria sua bene merendi, documenta edidit, ob ingenium, raram doctrinam, honestatem et probitatem venerabilis *Eugenius* huius quoque inter Graecos celeberrimi oratoris sermones primus edidit. Vixit hic *Iosephus Bryennius* sub finem seculi XIV. sequentisque initium, extinctus circiter a. 1431. aut 1438. 'Magna floruit eloquentiae laude, illiusque orationes auide lectae fuerunt. Quare etiam

etiam in variis bibliothecis codices exstant, quibus illae continentur. Haec editio complectitur orationes XLVII. de quibus optimus *Eugenius* in praefatione, vbi etiam de vita Bryennii agit, iudicium fert. Multa dicit in iis esse bene et sapienter, multa contra aduersarios fortiter dicta: adspersa vbique quae ad vitam emendandam moresque corrigendos faciant: dicendi genus plerisque in locis esse clarum, luculentum, et facile, sententiarumque collocationem aptam. Interim nec ea, quae merito lectoribus displicent, silentio praeteriit (*). Nos quidem non solum notata a doctissimo Editore vitia deprehendimus, sed fatemur quoque, oratorem hunc interdum subti-

(*) Ἀλλ' ἔστιν ἃ μεταξὺ πῶν καὶ ψυχρὰ παρέῤῥιπται καὶ περιττῶς ἐκφέρεται, ἐνιαχοῦ δέ τινα καὶ νεανικώτερον εἰς φιλοτιμίαν ἐπετηδεύεται καὶ ὡς ἄρτι τῷ Συγγραφεῖ εἰς τοὺς λόγους παρακύπτοντι, καὶ αὐτοῖς τοῖς ὀνόμασι σχολαστικώτερον ἀποκεχρωμένῳ, μειρακιωδῶς ἀκαιρολογεῖται; τὰ δὲ τέως καὶ φιλολογουμένῳ ἢ φιλοσοφοῦντι περὶ τινων, οὐ πάνυ τι πρὸς κανόνα τὸν τοῦ ἀληθοῦς ἀπευθύνεται;

subtiliorem nobis visum fuisse, ac de quibusdam rebus doctius disputasse, quam auditorum, ad quos dixit, ingenia concedere viderentur. Dicendi vero genus pro illorum temporum ratione satis est purum.

II. *Eutropii* Breuiarium historiae Romanae ab V. C. ad Valentem Aug. denuo recensuit et curis secundis illustrauit *Io. Fridericus Gruner.* Coburgi, ap. I. C. Findeisen. 1768. plagg. 19. 8. Iam anno huius seculi LII. Cl. *Grunerus* Eutropii editionem dedit, in qua viris doctis cum luculenta interpretandi ratio placebat, tum summa, quam in vera lectione locorum constituenda posuerat, cura: vno verbo non solum vtilis iudicabatur iuuentuti, sed etiam iucunda viris, longius in his litteris progressis. Post ea tempora in Belgio *Verheyckiana* Eutropii editio prodiit, quae alia augendi, mutandi alia, nonnulla confirmandi magis occasionem Nostro praebuit. Qua ille vsus secundis curis illustratum Eutropium euulgauit, quem non inferiorem priore laudem Viro Cl. allaturum esse speramus.

III.

III. *Lazarus Bonamicus*: scripsit *Io. Georgius Eccius*, Philosophiae doctor in Acad. Lipſ. Lipſiae, ex offic. Langenhemia 1768. pagg. 20. 4. Busbequio bene adiunxit amabiliſſimi Vir ingenii animique, *Eccius*, praeceptorem, Bonamicum. Is in Gymnaſio Patauino bonas litteras magna cum laude docuit, contentus ſorte ſua, otiique litterati deliciis beatus. Fiebant ad eum vndique magni concurſus, e Francia, Germania, Belgio, Britannia et Hiſpania venerunt, qui ab illius ore pendere cuperent. Et comparauerat ſibi hanc famam ſola docendi aſſiduitate et diſcipulorum frequentia. Neque enim, dum vixit, quidquam edidit. Poſt mortem viri prodierunt varia, in his carmina nonnulla. Ipſe huius libelli auctor, qui hoc quoque documento iudicii elegantiam oſtendit, egregium Bonamici de laudibus vitae ruſticae carmen ſuae narrationi ſubiunxit. Spirat illud profecto dulcem, quo Muſae Latinae Bonamicum proſecutae ſunt, fauorem. Non ſemel illud legere iuuabet: repetita lectio iucundius illud reddit: immo ediſcet pulcherrimos verſus, qui Auſoniae citharae modis delectatur.

tur. Me certe, qui nullis votis deos, diuitiarum et honorum praesides fatigare soleo, easdem cum Bonamico preces facere iuuat:

1. *Quod si vnquam optati huc tulerit me dextera fati*
Secernens populo ac tranquilla in sede locarit,
Dispeream si quid magis oblectare meum cor
Possit, et ad sedes summorum attollere Diuum,
Non mihi si quis opes dederit quas Africa latis
Fertilis effudit campis quasque India gemmas.

Immo, dum de auctore huius narrationis, *Ecolo* meo cogito, lubenter, qui statim sequuntur, versus addo:

At vero inprimis cuperem tot gaudia tecum
Percipere et tecum spacium consumere vitae
Quod superest, cum sis vita mihi charior ipsa.

IV. Animaduersiones Criticas Miscellas, munus docendae publice Philosophiae auspicaturus exponit *Io. Fridericus Herelius*. Erfordiae, 1768. pagg. 32. 4. Non *Moropolitanis* suis, quibuscum pugnantem vidimus *Herelium* alio tempore, bellum indixit hoc libello elegantissimus illius Auctor, Erfordiam vocatus nuper a sapientissimis viris, qui antiquam Vniuersitatis gloriam laudabili ardore renouare student, sed monachis librariisque, quorum oscitantia et stupore veteres codices corrupti sunt. Nec profecto infeliciter res suas egit. Qui enim aliud ab *Herelio*, Graecae et Latinae linguae exquisita scientia praedito, illaque mentis sollertia pollente, quae Criticos vnice iuuat, exspectari poterat? Ii vero scriptores, quibus adspersas maculas abstergere conatur, sunt Alciphron, Aristaenetus, Hyginus, Lucianus, Apuleius. Quaedam etiam epigrammata Graeca emendantur. vbi nil felicius cogitari potest iis, quae p. 30. auctori ingeniosissimo in mentem venerunt. Nos certe eandem

omnes ex huius libelli lectione voluptatem capturos esse credimus, quam nos percepimus. Vbique enim nos ingenium, doctrina et acumen Herelii delectauit, immo delectauerunt sales, quibus defricuit (p. 14.) istum infelicem gregem, cui tamen illudere fere impium. Nam diuinitus credo omnem sanae rationis vsum fratribus Anticriticis Wichmannis ereptum fuisse.

V. Chrestomathia Graeca poetica: quam curauit et animaduersionibus illustrauit *Theophilus Christophorus Harles*: addita Aristophanis Comoedia, Plutus inscripta, e recensione Bergleri et cum eiusdem ac Dukeri notis. Coburgi, sumt. Findeisen. 1768. Alph. 1. 8. Insigniter hoc libro edito de iuuentute prometitus est, *Harlesius* noster, cuius nomini, pluribus vtilissimisque libris illustrato, charo bonis omnibus et ab iisdem celebrato, merito, commendatione quidquam addere non opus est, Recte enim, "errare, inquit, mihi vi„dentur, qui in scholis inferioribus

 „libros

„ libros tantum noui foederis suis pro„ponunt auditoribus; quasi Iurecon„sulto lectio Graecorum auctorum at„que adeo poetarum non sit necessa„ria, aut, quasi Theologis, non ille „pinguis aut sordidus, sed egregius et „munere cum laude fungentes, sine „adcurata Graeciae cognitione libros „istos diuinos bene recteque intelligere „atque explicare possint." Hinc, vt iuuenum ingeniis inseruiret, e pluribus poetis Graecis varia excerpsit, ad optimas editiones exscribi eadem iussit, commentariisque illustrauit. Vbi non possum non rationem doctissimi *Harlesii* laudare: "Ex iis, ait, poetis, quo„rum poemata longiora sunt, et quae „integra legere debes, si pulchritudi„nem carminis et artificium scriptoris „sentire et noscere cupias, nihil ex„cerpsi, ne, abrupta hac particula, „omnis vis et venustas integro corpori „detraheretur et quamnam sentis vo„luptatem intuendo abscissa corporis „membra? quamnam capis vtilitatem „legendo mutilos illos et amputatos

„aucto-

„auctores?" Vere profecto et sapienter! Dabimus vero carminum, quae hic liber complectitur, indicem. *Pythagorae Carmina aurea; Elegiae Tyrtaei, Mimnermi quaedam: Homeri et Orphei hymni quidam; Anacreontis carmina nonnulla; Theocriti, Moschi et Bionis Idyllia quaedam; Sapphus mellitissimi versiculi; epigrammata quaedam, nonnulla Callimachi et Pindari, Aristophanis Plutus.* His addidit Vir Cl. commentarios, in quibus cum verba explicare, sensum locorum interpretari, cumque ingenia similium locorum comparatione acuere, tum, quantum consilium auctoris concederet, lectionem locorum veram stabilire studuit. Quo in negotio quam rationem secutus sit, ipsius verbis narrare lubet. „Equidem ab omni protervia et libi„dine ingenii, corrumpendi potius „quam emendandi loca, quae difficul„tate quadam laborare viderentur, „quam maxime alienus fui, nec „divinare, sed interpretatione quadam „loco, qui male affectus videbatur, suc-

 „cur-

„currere, quam, praecipue in tali opu„sculo, coniectura quadam audaci ab „ingenio profecta, manum quasi medi„cam violenter adferre malit."

VI. *Του μακαριου Θεοδωρητου επισκοπου Κυρου απαντα*: B. Theodoreti, Episcopi Cyri opera omnia ex recensione Iacobi Sirmondi denuo edidit, Graeca e codicibus locupletauit, antiquiores editiones adhibuit, versionem Latinam recognouit et variantes lectiones adiecit *Ioann. Ludou. Schulze*, Gr. et OO. LL. in Acad. Frider. P. P. O. Tomus I. Halae, typis et impensis bibliopolii Orphanotrophei, 1769. pagg. 1586. 8. Perhonorificum nomini suo bibliopolium Orphanotrophei opus suscepit, vnde et ad illos, qui ei praesunt reique librariae curam gerunt, et ad vrbem ipsam, quam illius collegii liberalitas ornat, non parum redundat laudis; editione Theodoreti noua et luculenter adornata. Non profecto, vt nunc fert temporum, ad nugas et ineptias fere procliuium, nuper contra

 libro-

librorum Graecorum editio *Sosiis*, quorum quotusquisque tot sumtus in Theodoretum impendere ausus fuisset? Et fuerunt, quae redemtores operis a consilio deterrere possent, eorum praesertim voces; qui, cum de Theodoreto edendo audirent, quem nobis Theodoretum narras? dicebant; quem episcopum Cyri nominas? Nec tamen viros, non lucri cupidos, qualis esse solet plurima bibliopolarum pars, sed publicae vtilitatis studiosos, ideoque dignos, quibus maximae gratiae dicantur habeanturque, quidquam a consilio dimouere potuit. Quare quaecunque huic nouae Theodoreti editioni ornandae inseruire possent, studiose collegerunt. Praebuit Bibliotheca Augustana quattuor codices: Bibliotheca Medicea Laurentiana nonnulla obtulit; denique variantium lectionum codicis Coisliniani copia facta est editori. Nam illius quoque assiduitas admirabilisque diligentia laudanda est. Non solum vitam Theodoreti conscripsit, atque versionem Latinam iis in locis, vbi aut Graeca vitiata aut lin-

 guae

guae Latinae ingenio minus responderet, correxit, sed accuratam quoque operam in illis codicibus excutiendis posuit. qui quidem labor quam molestus sit, ii norunt, qui eum experti sunt. Lectionum variarum indicem in subiunctis animaduersionibus exhibuit. quem si quis perlustrare voluerit, ille multa loca corrupta emendari, multas lacunas suppleri animaduertet; immo intelliget, aptissimum esse *Schulzium* nostrum ad tale opus ita perficiendum, vt ii, qui huic Theodoreti editioni fauent, exspectant, et postulant.

VII. Notae et Emendationes in Theocritum: accedit specimen emendationum in scriptores Arabicos; scripsit *Io. Bernhardus Koehler*, Philos. et Histor. Prof. Publ. extraord. in Academ. Kiloniensi. Lubecae apud Schmidt et Donatum 1767. pagg. [illegible] Multa sunt in hoc libro, hinc inde ingeniose, et feliciter excogitata. Non pauca vnde Theocrito [illegible] librariorum [illegible] illata [illegible] feliciter [illegible] scholia [illegible]

contexit; attigit etiam alios scriptores, Hesychium, Orpheum, &c. id, quod mihi longe iucundissimum fuit, Stratonianae Anthologiae epigrammata quaedam, quibus corrigendis non invita Minerva operam suam impendit. Uno verbo, clare ostendit hic libellus, quantum polliceri nobis debeamus de nova Hesiodi editione, quam Virum doctum parare audimus, intellectaque insigni illius Graecarum literarum scientia, non sine voluptate audimus.

VIII. De caro librorum manuscriptorum pretio dissert. I. et II. auctore Io. Ludov. Gunzio, S. S. Theol. Doctore et Prof. Publ. Ord. Francofurti ad Viadr. 1767. 4. Iucundi lectu fuerunt hi libelli, multaque continent e literaria historia curiose collecta. Duplici vero a causarum genere codicum pretium auctum fuit. Primum sunt, quae dant non, obliquae quidem, semper, sed sunt tamen, quae eorum caritatem augeant. Interdum aliquis liber ...

me delectatur: alius auctori eiusdem plurimum tribuit. Vetustas caritatem auget. Libros ipsius auctoris manu scriptos iam olim immenso pretio emerunt viri docti. Integrum libri exemplum carius venit corrupto aut mutilato. Huc denique pertinent ornamenta librorum externa; maior librariorum cura, possessorum auaritia et inuidia; raritas libri, fraus librariorum, sanctitatis opinio. Deinde etiam libri manu scripti ob certas perpetuasque causas machinis exscriptis cariores esse constat. Id quod Auctor ostendit exemplis cum veteris tum recentioris aeui, vbi sidem sere superare videtur Balbini narratio (p. 29) Bohuslauum Hassensteinium, sumientaiam typographia, Platonis codicem Graecum duobus aureorum millibus sibi comparasse. Porro probat hoc antiquo more codices templis atque collegiis donandi, atque antiquarum bibliothecarum pretio, id quod multis ab Auctore exemplis illustratur. Denique quaedam addit de codicum sacrorum pretio apud Iudaeos et Christianos.

IX.

IX. Super Odyssea Homerica scripsit *Dauid Christ. Seybold* A. M. Halae ad Salam, ap. I. I. Curt. 1769. pagg. 78. 8. Sic a *Seyboldo* nostro Homerum lectum fuisse, vt par est, patrem poetarum ab iis legi, qui hac lectione ingenium denere sapientiaeque studium alere cupiant, clare hic libellus docet. Primum agit in vniuersum de Odyssea, et comparatione instituta huius carminis cum Iliade, quid cuiusque proprium sit docet, Rapini sententiis reiectis. Deinde, qui in Odyssea occurrunt, heroas recenset, Vlyssis inprimis plenam dat imaginem, collectis, quae ad eum pertinent, omnibus. Quomodo suis personis vsus sit Homerus ostendit, quomodo alios plena sub luce videri voluerit, alios in obscuriore loco collocauerit, quosnam iisdem mores tribuerit, quamque accurato studio tributos cuique seruauerit. Tum transit ad argumentum carminis: de simplicitate illius agit, de intextarum historiarum varietate, de sublimitate, quae argumento inest, de deorum

rum ministeriis; de ornamentis carminis; e philosophia, ex historia, e mythologia sumtis. Toti autem libello eadem Venus, quae *Seyboldo* ingenii rarum amoenitatem adspirauit, gratiam conciliauit non exiguam. Multa sunt subtiliter disputata; quaedam nouitatis commendationem habent: omnia doctrinae copiam et vim egregiam praeferunt.

CONSPECTVS LIBRORVM

QVORVM CENSVRAE

VOLVMINIS V. PARTE II.

CONTINENTVR.

III.

VI.

VIII.

ACTA LITTERARIA.

SCRIPSIT
CHRIST. ADOLPHVS KLOTZIVS

— *Librum, si malus est, nequeo laudare.*
IVVENAL.

VOLVMINIS V. PARS III.

ALTENBVRGI
EX OFFICINA RICHTERIA.
CIↃ IↃ CCLXVIIII.

ACTA

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

I.

Ioannis Danielis Schoepflini, Regii Franciae Historiographi, opera Oratoria, Panegyrici, Orationes, alloquia, programmata, inscriptiones, alia: recensuit, praefatus est, vitam auctoris adiecit *Fridericus Dominicus Ring*, Ser. Princ. March. Bad. Durl. a consiliis aulae. Volumina duo.

Augustae Vindelicorum sumt. C. H. Hage, 1769. 4.

Longe alia nobis de *Schoepflino* narraturum esse *Ringium* sperauimus, quam ab eo narrata esse intelligimus, postea quam nos sat longo sermone tenuit. Immo eadem longe alia oratione, alio modo, narraturum esse putauimus virum, qui non obscuri hominis, sed *Schoepflini* imaginem ex-

primere poſteritatique tradere auderet. Sed fefellit nos ſpes opinioque. Quidni vero crederemus, de viro eruditiſſimo clariſſimoque talia memoriae proditurum eſſe illum, qui ſe *Schoepflino* familiarius viſum eſſe gloriatur, quae delectent non ſolum lectorem, ſed erudiant quoque animum, conſiliisque idoneis inſtruant? Certe narrare ille nobis debebat, quas litteras prae aliis amplexus ſit Schoepflinus, quasque felicius reliquis tractauerit, qualem in prima iuuentute iis operam dederit quibusque adiutus auxiliis, quos in iis fecerit progreſſus, quibus rem litterarum incrementis auxerit, vno verbo, ingenii verum imaginem ſic debebat exprimere, vt, et quae illius propria eſſet quaſi forma et naturalis nota, doceret, et cur potiſſimum haec ſit ingenii Schoepfliniani doctrinaeque ratio, quibusque e cauſſis hunc, vt ita dicam, colorem contraxerit, hanc formam induerit, oſtenderet. Sed alia *Ringio* ratio placuit. Non omnia omnibus placere quis neſcit? Praeterit ea, quae, niſi me omnia fallunt, plerique exſpectabunt, commemorauit alia, quae ſoli *Ringio* memorabilia videri poſſint. Haec qualia ſint

audia-

audiamus. Nam non quotidie talia audiuntur.

Non laudauit Samosatensis ille, hercle! non stupidi ingenii homo, nec insulsus, vt arbitror, istum, nescio quem, qui in historia nec braccas, nec clypeum, nec caesariem imperatorum silentio praeterierat. (*) Immo, vt non solebat ille risum continere, quoties ridendi materies oblata erat, diligentis et accurati scriptoris fabulas illudit. Egitne vero aliud quidquam *Ringius*, vbi p. 79.
serica vel holoserica veste nigra Schoepflinum *vti* narrat, *cum inter Principes vel Magnates*, vel in solemnitate *versetur*, *cum sibi relictus sit communi?* Et metuebamus, ne facundus vir narret, quibus capillis, suis an adscititiis optimus senex vtatur. Nec his ille contentus fuit. Liberalior est et disertior. *Incoenatum cubitum ire*, *duos in vita morbos catarrhales expertum fuisse*, atque interdum *insomnes noctes agere* Schoepflinum vultu seuero commemorat. Vbi me poenitet omnium, qui vitas virorum doctorum scripserunt! Nullus enim vt talia nobis narraret,

Q 3 quae

(*) v. Lucian. Quomodo historia conscribenda? p. 27.

quae ſua ſponte *Ringius* effundit, precibus vllis adduci potuit. Quid? quod *temperamentum cholerico - ſanguineum* Schoepflino eſſe ſcriptor noſter, non in ſcholae vmbra, vbi olim iuuenes et ſimiles, iuuenum ſenes eiusmodi ſapientiam adamabant, ſed in aula verſatus, ſcribit. Quae quidem omnia quis exſpectaſſet ab illo? Nil vero magis *Ringium* in vita *Schoepflini* delectare videtur donis a regibus principibusque *Schoepflino* oblatis. Accuratiſſime enim nummos aureos enarrat, quibus qui marſupium plenum habeat, quis beatum eſſe neget? Nam bene nummatum marſupium nec ſapientes abiiciunt. Locus vero his nummis in vita viri docti, qui maiora egit, quo iure detur, alii videant. Eadem diligentia itinera quoque *Schoepflini* Noſter commemorat, licet ex hac commemoratione nil diſcamus aliud, quam hac illaue in vrbe virum eruditiſſimum fuiſſe. His quidem in rebus ſi quis dicat breuiorem fuiſſe *Ringium*, nec ille iniquus ſit, oportet. Iniuriam faciet viri diligentiae. Ne vero omnem illam Plutarcho de palma certandi cupiditatem abieciſſe videretur Auctor (nam hoc credo illum ſpectaſſe)

adſper-

adſperſit interdum monita quaedam, ſententiisque nonnullis narrationi auctoritatem conciliare ſtuduit. Quam nouae, reconditae, et ſubtiles hae ſint, ipſi lectores iudicent. Nos exempla dabimus. Poſteaquam igitur narrauit Vir Cl. diſplicere quibusdam laudes, quibus *Schoepflinus* linguae Latinae et hiſtoriarum ſtudia commendet, laudabilem eſſe vtriusque rei ſcientiam docet. Id quod nec negaſſe quenquam ſerio puto, nec, ſi quis neget, dignum iudico, qui refutetur. Immo, vnde hac luce clarius eſt, Ciceronem a noſtro lectum eſſe, hiſtoriam eſſe *teſtem temporum, lucem veritatis, vitam memoriae, magiſtram vitae, nuntiam vetuſtatis*, nobis perſuadere nititur. Alio tempore paullo maiora canit. Nam p. 63. p. 65.

non omnes arbuſta iuuant humilesque myricae,

Claſſicum canit, tubarumque clangorem imitatur. „Valeant, cum tanto ſe „iudice tueatur literata Argentinenſis „ciuitas, valeant, inquam, humiles il„lorum artes, qui ipſi in ſcientiarum „omnium limine adhuc conſtituti, gra„culique ex obſcuriore aliquo loco egreſ„ſi, ſuam gloriolam contemtui alio- p. 50.

„rum ſuperſtruere, obſoleto remedio
„ſatagunt, dumque duo vel tria docto-
„rum virorum nomina et dictata, cala-
„mo excepta, crepant, ſe omnis ſa-
„pientiae poſſeſſores, nihilque aliis ob-
„tigiſſe infantes putant; valeant hi et
„ſapere, ſi quidem poſſent, audeant,
„incipiant ipſi, antequam vano hoc co-
„natu et irrito gloriam captare audacu-
„li ſtudeant!„ Quam orationem non
ſolum ſapientem, ſed vehementem quo-
que eſſe ſi quis negare audeat, ille *va-
leat*, cum rem certam in dubium vo-
care velit, *valeat inquam!* Nec lenior
eſt, vbi ad ſcholas *Schoepflini* magnos
p. 20. concurſus fieri dicit; „Videres, inquit,
„adhuc plura carpenta domum eius ob-
„ſidentia, quam ex vmbratilium illo-
„rum doctorum, qui dum ſe, *mun-
„dum et ſcientias ignorant*, *maleque
„decocta praecepta propinant*, ſibi ta-
„men ſoli et aliis melius ſapere viden-
„tur, triuialibus ſcholis deceptos per te-
„nebriones iuuenes exire.„ Quorum
carpentorum numerum nefas fere eſt
non iniiſſe accuratiſſimum ſcriptorem,
qui *Schoepflinum multi cibi inter pran-
dendum*, ſed *hoſtem ſpirituoſorum po-
tuum* eſſe commemorat, quique omnia

illis tanta fide explicuit, vt nec *visceris praecordiorum ventrisque valida* prae-terreret. Plures si quis sententias cogno-scere cupiat, ille eas ipse quaeret. Non cur, omnibus exemplis laudatis, nullam omnino lectori cupiditatem libri co-gnoscendi legendique relinquamus?

Stilo, ait Vir Cl. *simplici et plano ex-pediam omnia, non ampullis nec longe quaesitis verborum lenociniis illum ela-turus, qui sua se virtute extulit. Ipse, quemque et quae per Ipsum euenerint, nominasse, laudasse est.* Decet profe-cto eiusmodi oratio vitae scriptorem; atque praeclarissimum, quod omnes imitarentur, exemplum reliquit Nepos. At quem Nepotem nomino? Pueri il-lum legunt qui ferulam timent, qui ex ephebis excessit, librum scholasticum quidni abiiciat? Interim si Nepotis tem-peratum, candidum et aequabile di-cendi genus cognouisset Noster, quo-modo, quasi afflatu quodam furoris coe-lestis incitatus, dicere potuisset: *Salue-to nobis, et salue iterum, et tertium sal-ve, tu, qui communis, non Germaniae sed gentium praeceptor es, Summe vir, Schoepfline.* Haec si orationis placidae propria sunt, quid est rhetoricari? Sed

p. 41

p. 18.

 illu-

illustrior etiam locus adest, qui, si quis similem mihi ostenderit, aut quem si *simplici* dicendi generi conuenire docuerit, non ille quidem numos aureos a viro Cl. recensitos, sed

Phyllida solus habeto.

p. 53. De Alsatia illustrata loquitur. „Opus, „ob quod solum, si nihil aliud memoria „dignum litteris consignasset Schoepf„linus, vastissime eruditionis consu„matissimae in dicendo, quae sunt apta „peritiae gloriam, stupendique laboris „ferendi patientiam ei non, nisi stipes, „negauerit, laudauerit vero digne et „pro meritis non, nisi par Schoepflinia„nae oris facundia, qua polluit eheu! „olim Gesnerus ὁ Κριτὴς in recensen„do in Relationibus de libris nouis Goet„tingensibus Latinis Schoepflini opere, „quales *encomiastas* mereantur viri ad „Schoepflinianam eruditionem progres„si docere voluisse visus venturos post „nos nepotes, et, ne ingrati in manes „magnorum virorum peccent, olim, „monuisse leuiter interdum litteris tin„ctos ephemeridum litterariarum scri„ptores, aut praeiudicatis opinionibus „vel furore omnino quodam incondite

„de

„de rebus, quas non intelligant ipsi, „iudicandi nimium quantum abreptos.„ Quam quidem verborum comprehensionem, licet durum fuerit, haec omnia transscribere, gaudeo tamen mihi non recitandam fuisse. Enceladi cuiusdam pulmones vix suffecerint. At o indisertum Nepotem, huiusque orationis vinciendae expoliendaeque artis plane expertem! Nam similem verborum circumscriptionem frustra apud eum quaeres.

Poetice loqui maluit noster, vbi humane loqui debebat. Atque ego nescio, an quidquam ampullis istis et sonoris verbis molestius sit Xenophontis aut Caesaris naturali pulchritudini assuetis. Inviti hi conspiciunt: *opus principis favorem suis omnibus nepotibus usque locuturum* (p. 57.) inuiti audiunt: *Emensus quinquennio stadium, quod illi percurrendum praetendebat Durlacense Gymnasium*. (p. 7.) immo auriculas demittunt illis auditis: *Loquuntur tum ex illo non lingua tantum et mentis cogitata, sed manus, oculi incessus agitatus nunc, nunc sedatior, nunc subito remissus, nunc agitatior iterum, omnia, per quae quis loqui et animi sensus potest*

rest exprimere (p. 71.) *Rex, cui nuptiales taedas accensas vidimus anno quo viuimus* (p. 60.) *Lauris sat multis tempora cinctus Schoepflinus* (p. 47.) *Ad Lydium rationis non praeiudicatae lapidem aliquid exigere* (p. 39.) *Res inter vtrumque aliquamdiu agitata in spongiam tandem* i n c i d i t (p. 38.) Immo, si incident *in scriptum vnius plagulae* c a n c e l l i s *circumscriptum* (p. 39.) t e r m i n o s *mente et sono cassos* (p. 66.) se percipere indicabunt. Sed occurrunt longe plura in hac vita, quae Latio inaudita, quae peregrina et barbara sint. Quomodo placent haec? *Thesaurum Inscriptionum, quem Thesauro Numismatico Palatino Begeri* p o n a s a d l a t u s (p. 58.) *Magnam chartarum copiam* i n p a r a t o h a b e t (p. 52.) *Academiae recens instituendae* p r o s p e c t u m, *quem absens delineauit,* *praesens* e x e c u t i o n i d a b i t (p. 76.) *Natales aliasque* festiuitates (p. 62.) *ad* festiuitatem *celebrandam* (p. 23.) *quod ille sua* Polymathia *antiquam vrbis gloriam sustentarit* (p. 69.) *quarum* (dissertationum) *syllabum hic sisto* (p. 48.) *Videbis, quam iam cum hoc vno homine iacturam*

feceri-

fecerimus (p. 47.) *Gratuitas suppositiones et quotae quantae traditiones* (p. 42.) *Intactam reliquit huius omnis quantacunque est, controuersiae* *acropolin* (p. 40.) *Assertum nostri non infirmat, sed confirmat — dissertator* (p. 36.) *Nouos per omnem scientiarum ac disciplinarum Encyclopaediam thesauros colligit* (p. 26.) „Quomodo, iterum quaero, haec placent?

Non solemus, id quod Actorum lectores cognouisse arbitror, durius reprehendere, si quem intellexerimus sibi excidere passum esse, quae non satis latina sint. Neque enim ignoramus, viros etiam doctos in hac re labi, nec omnibus horis memoria tenemus eorum praecepta, qui de latini sermonis elegantia scripserunt. Magna horum praeceptorum pars minutis obseruationibus continetur, quas quis semper recordari potest? Contrahimus etiam facile aliquam barbariem e lectione, qui nunc scribuntur, librorum. Quare multa huius generis peccata condonamus aliis ingenii doctrinaeque laudibus. Cl. vero *Ringium* ideo de his admonere lubuit, quia sibi aliisque non parum Latini sermonis gnarus videtur. Et sunt in his

pec-

catis quaedam, quae vel a mediocriter Latini sermonis praeceptis tincto vitari possint et debeant. Nam subtilius orationem si examinare vellemus, longe profecto plura offenderemus, quae notanda essent. Haec de vita *Schoepflini*.

Quod ad orationes ipsas attinet, continet prima pars *Panegyricos* XXIII. laudibus Galliae et Ludouici plenos. Atque hae sunt, nisi fallor, quibus Cl. *Schoepflinus* eloquentiae, qua floret, laudem sibi conciliauit, orationes, praesertim cum accedat illa corporis eloquentia, cuius non exigua vis est. Nam qui *Schoepflinum* dicentem audiuerunt, illius actionem et in voce magnum splendorem et in motu summam dignitatem habere fatentur. Neque etiam nos quidquam viri diserti laudibus nostrae sententiae libertate detractum esse cupimus. Nam, vt maximi semper *Schoepflini* eruditionem insignemque plurimarum cum veteris tum recentioris aeui rerum scientiam fecimus, sic lubenter fatemur, magna laude has orationes dignas esse.

Primum enim summa sententiarum et verborum varietas animos tenet atque dele-

delectat. Saepius oratori de laudibus regis sui dicendum fuit, sed dixit ita, vt nouitatis blandimentis alliceret auditores et caperet. Hinc ingenii feracissimi vigor intelligitur. Deinde non solum puro sermone, si paucula exceperis, vtitur et latino, sed genus dicendi quoque est graue, sententiarum verborumque splendore illustre, imaginibus rerum viuidis distinctum. nullus languor: nil humile aut abiectum: digna omnia argumenti, quod elegit, magnitudine, digna nobilium et doctorum virorum auribus, immo *Schoepflini* nomine et fama omnia digna. Interim deprehendimus in pulcherrimo corpore maculas quasdam, quas ideo non praeteribimus, ne, cum dulciora sint vitia, nondum satis optimis exemplis firmata iuuentus iis forte capiatur.

Non credimus in Argentinensi oratore summas laudes, Gallicae genti datas, reprehendi debere, licet ita datae esse videantur, vt aliis populis iniuria facta sit. Dabimus oratori, *non augustius nomen orbem vidisse Galliae Ludouico* (p. 19.) nec indignabimur, si regem suum *Europae paratorem* (p. 160.) *magnum populorum principumque pacatorem*

torem, (p. 89.) appellat, et *libertatem Teutonicam* a Gallo, *generoso laboranti Germaniae vindice seruatam esse*, (p. 121.): *Galliamque laborantis filiae miseratam sortem tandem succurisse* (p. 225.) *Alsatiae* dicit. Nouimus enim, nos Francici regni ciuem audire, a quo nullam aliam orationem exspectamus, cuique, vt ciuem decet, loquenti succensere nefas est. Haec vero quo iure Cl. *Ringius* imitatus sit, ipse videat.

p. 25. Celebrare poterat *regium numismatophylacium Gallici regni magnificentiam, si nullum alium haberemus testem, ad stuporem loquens.* Nam nummorum splendore Auctorem gloriam et magnitudinem metiri supra audiuimus. Sed cur

p. 15. de Argentinensi ciuitate, *Francico regno felici fato iuncta, de ciuicis coro-*

p. 45. *nis ob Alsatiam seruatam, de tropaeis in Belgio quaesitis* locutus est? A Germano quis haec se auditurum esse sperasset? *Schoepflinum* si audimus praedicantem de Gallico exercitu: *fortissimas gentes ad solum exercitus Gallici aduentum trepidare* (p. 8.) et *insuperabilem bello esse Franciam, inuictas istius populi vires* (p. 5.) oratorem Argentorati haec in concione Gallorum dicere non

mittamur. Idem si Gallorum e Bohemia fugam cum *Xenophonteo decies mille Graecorum receptu* comparat, *si illum, quem Graecia tam diu et splendide olim aluerit, diuinum Apollinem cum toto Parnasso, regnante Borboniorum familia, in Galliam translatum* (p. 31.) *esse* gloriatur, *si Galliae debere Russiam litteras* (p. 78.) *litterarumque amorem* addit, nec reprehendimus oratorem, opinionibus auditorum inseruientem, nec succensemus viro, qui se bonum virum studiosumque veritatis esse aliis documentis clarissime ostendit.

Maiori vero iure in his orationibus reprehendere nobis videmur poeticum dicendi genus. Scimus atque fatemur, verborum splendorem iis orationibus conuenire, quas *Schoepflinus* scripsit. Quis ferat oratorem, qui de bellis, de victoriis, de regibus dicturus imitetur Caesaris commentarios nudos et venustos, omni ornatu orationis, tanquam veste, detracto? Decet oratio grandior argumentum magnificum, atque cum ipsa rerum magnitudine surgere illa debet. Atque laudauimus hoc dicendi genus, magnificum in doctissimo viro: Sed videtur ille modum interdum ex-

 cef-

cessisse, easque, quae solis poetis relinquenda essent, adhibuisse. Hinc non
p. 138. solum regem alloquitur: *Salue Ludouice, Iouis tonantis diuina soboles*, sed alia quoque ponit, in carmine quae laudem mereantur, in oratione displicent. Ta-
p. 200. lia sunt: „Ergo Tritonas inter et Ne-„reos marinus tandem heros sublimis „incedis triumphalis Ludouice. Re-„ctor oceani fluctus demulces, triden-„tem tua dextra librans, at sinistra ca-„duceum. Te maris Atlantici accola, „te barbarus Americanus iam suspicit, „et sua pro te vota cum Europaeis con-„iungit. Rostratas tuas naues, tot ve-„la liliata, amici, aemuli, vastus Ocea-
p. 47. „nus mirantur et stupent. „En aliud „exemplum: stupet ille saeuo Triden-„te potens Neptunus Francica vela, quae „in procelloso olim aequore rara cum „istis nunc populis, quibus maris do-„minium natura indulsisse credebatur, „de imperio illo certare videntur. „ Amant eiusmodi orationem illi duodecim panegyricorum auctores. Sed eorum tumidum et inflatum dicendi genus quis laudet aut imitetur? Solis poetis licet illam deorum dearumque concionem cogere, quam *Schoepflinum*

K fae-

saepius nobis monstrasse inuiti animadvertimus. „Mediterraneum cum Ocea„no, orientem cum occidente commun„gere, et veluti aequoreum Neptuno „sceptrum excutere coepit Magnus ille „maris dominator Ludouicus. Mira„tus est orbis liliatum tridentem, mi„ratus Oceanus nouum Neptunum. „Haec te aliquando exspectat potentia, „auguste Delphine. Ad tua incunabu„la ex maris profundo caput extollit „longaeuus ille Nereus, cum caeruleo „Nereidum, Nympharum Delphino„rumque ingenti exercitu. Tibi „principi nouo iam accinunt Tritones, „et naualibus tuis olim triumphis prae„ludunt. Trement aduentum tuum „Africanae et Asiaticae puppes. Tre„ment monstra illa marina, quae „Christianis oceanum reddunt infe„stum." Poteratne Statius, poterat Claudianus aliter dicere? Magis etiam poetica sunt illa: "Stringit iam cygnos per „Idalios colles placida Venus, nectit „iugalia vincula pronuba Iuno, reclu„dit atria sua blanda Dione, accendit „geniales taedas dulcis Hymenaeus, ca„nit thalassium Francica pubes et roseis „suis bigis Aurora vestros iam collu- p. 79.

 strat

„ strat amoreei." Addas numeros, versus habebis. Ad meum sensum nullum in oratione locum habere possunt
p. 119. sequentia. "Terra ferax et amoena!
„ quantum sanguinis humani, quasi eius
„ insatiata, hausisti, quoties Rhenus tu-
„ us et Ellus effuso cruore rubuerunt,
„ quot fortium heroum suis vndis volue-
„ runt corpora, quot principum extero-
„ rum, in sanguinolento hoc Martis
„ theatro certantium truncatos artus in
„ tumulis et penetralibus tuis abscon-
p. 227. „ dis." — Indignatus est Rhenus, Alsatiae custos, qui caesorum et vincentium corpora miscuit, vulneratos et integros verticibus abstulit: hoc solo fere Gallis iniquus, quod nulla nobis insignia, nulla monumenta victoriae reportatae reliquit. Poterat eadem sententia magnifica oratione conuestiri, et vitari poterant tamen, quae poetarum propria essent. Quid dicamus de his, quae
p. 79. sequuntur? "Iam centiceps illud mon-
„ strum formidabili sua mole et furen-
„ tibus flammis trepidanti Europae me-
„ tus et terrores incutiebat. O infeli-
„ ces terrigenae, quos tartarea Bellona
„ sanguineo rursus flagello exagitatura
p. 64. „ videbatur! — Vidisses in hoc sa-

cro

„ero Palatio in exornanda Augusta ado-„lescente, iucundum Gratiarum Vene-„rumque certamen, venientibus in con-„sortium Minerua et Musis, ex qua-„rum disciplina magnanima haec pro-„les, naturae miraculum, orbis prodi-„gium, processit; tota virtutum comi-„tante caterua, quae tantae iam heroidi „certatim applaudunt, quae potenti „ipsius praesidio nunc glorioso laetan-„tur. Quid heic in tam multiplici do-„tium Regiarum concursu potius admi-„rer? Diuina virago! Quid primum, „quid postea, quid vltimo loco expo-„nam? Regina sanctissima —" Prae-tereo alia, a quorum imitatione sibi iuventus cauebit.

Difficile est, vbi semper laudare, semper praeconia tribuere debemus, argutias inanes et frigus euitare. Euitavit tamen *Schoepflinus* sat feliciter. Semel meminimus illum lapsum fuisse, cum in toto orationis argumento, tum in quibusdam partibus. Nimis a veterum exemplis recessit, indulsitque recentiorum quorundam lusibus. In oratione, qua Stanislao nuptias filiae gratulatur, *felicem aquilae Polonicae cum Gallico sole coniunctionem* ostendit,

 Quod

Quod quidem argumentum, inuita Minerua Attica electum, non potuit non multiplicem auctori praebere occasionem argutias captandi et nescio quae ornamenta orationis. Hinc illa: "Re-
„spicite ex tumulis vestris antiqui Sar-
„matiae Hectores. Surgite ex vestris
„mausoleis Piasti et Iagellonidae prin-
„cipes; et iucundissimum cernite spe-
„ctaculum. Aquila Polonica ad Fran-
„cicum solem se extollit: alibi Sarma-
„ticae sol Gallicus in amoribus est: in
„rigidos Sarmatiae montes aurea iam
„transplantantur Galliae lilia: Noua et
„felicissima rerum Polonicarum con-
„uersio! Surget omnium florentissima
„totius septentrionis *Periodus*. Con-
„det nouam Regum ex Francia seriem
„Polonia. Expandent aliquando alas
„suas Aquilae Polonicae in Principum
„Borbonicorum occursum, patebunt
„regni portae principi piliato, sed ma-
„gis anhelantium corda ciuium; ef-
„florescet ipsis regnantibus antiquus Po-
„lonorum candor, redolebunt ibidem
„Gallici sceptri lilia." Hinc horum similia: "Frangentur cornua Turcicae
„lunae, si olim ferociant, ad Gallici
„solis radiorum splendorem et cum il-
„la

„la Francico ac Polono cruore resperfa
„toties iam mutarit colorem, expalle-
„scet nunc plane, vel sereno pacis lu-
„mine truces aspectus permutabit
„(p. 68.): hinc denique Turcica Phoe-
„be Apollineis ex Gallia nunc radiis re-
„splendet" (p. 80.). Quae quidem
sententiae fallere forte quendam possunt,
non satis imbutum lectione veterum,
sed easdem si examinaueris, nihil in-
esse iis, quod placeat, intelliges. Re-
linquemus talia Masoniis, Thesauris,
Labbeis, nec iis *Artes argutiarum* et
Ideas argutae dictionis inuidebimus.

Quas alterum volumen complectitur,
eae diuersi sunt generis, orationes. De-
clamationes eas dixeris, quarum etiam
argumenta, aliud dicendi genus postu-
lant, quam illae.

Primus locus datus est Orationi *de
Germanico, raro principis ad spem im-
perii nati exemplo*, scripta ea fuit a
Schoepflino iuuene, atque desiderauimus
in illa aliquoties Latini sermonis puram
elegantiam. Sequuntur duae laudatio-
nes funebres, quarum altera Io. Henr.
Barthii, theologi Argentoratensis, al-
tera Io. Casp. Kuhnii, Eloquentiae et
historiarum professoris memoria dica-

 ta

ta est. Non fuit hic ille Kuhnius, Pausaniae et Pollucis editor, Criticus eruditus, sed, vt *Schoepflinus* narrat, orator et poeta eximius. Certe nil honorificentius de eo dici potest, iis, quae
p. 53. *Schoepflinus* praedicauit. "Felix profe-
„cto te alumno Argentina in te vidit,
„quod in maximo oratore suo Roma
„non vidit, cuius cum miraretur fa-
„cundiam, minime tamen mirata est
„poesin. Itaque non aequasse te tan-
„tum Ciceronem, sed et superasse di-
„cerem, nisi tua mihi modestia ma-
„num iniiceret, adeo in te vno quid
„efficere posset ostendere voluisse natu-
„ra videtur: vnus tu nobis pro populo,
„vnus pro turba, *unus nobis totus quae-*
„*si Parnassus fuisti.*"

In reliquis orationibus, restant vero plures, *de eloquentiae Romanae fatis*, *de pyrrhonismo historico*, *de eloquentiae praemiis* agit. Aliae habitae sunt in Canonicorum Argentoratensium inaugurationibus, reliquae in Academiae, quae Manhemii est, Palatinae concionibus.

His additae sunt breues oratiunculae, cum Latinae tum Gallicae, quibus reges principesque *Schoepflinus* excepit salutauitque. Placet in his luculenta bre-

vitas,

vitas], nec immerito eamdem lectionem commendamus, iis, qui, quid deceat, quid aptum sit, aut nesciant, aut discere cupiant.

Orationes excipiunt litterae publicae, quibus aut funera indixit *Schoepflinus*, aut magistratuum auspicia, aut alia, quae in Academiis aguntur.

Inscriptiones cur non omiserit Cl. *Ringius*, ii intelligent, qui ipsum huius operi orationem praefixisse viderint, quae longis breuibusque versibus distincta, inscriptionis speciem praefert. Sed plane illa abhorret a veterum exemplis, ornata flosculis quibusdam, e poetarum Latinorum carminibus decerptis. Nec puto eum, Schoepflinianis inscriptionibus collectis editisque, inseruiisse honori auctoris, nec gratam fecisse rem viris doctis. Nam his frigida acuminum adfectatio parum probabitur. Si Cl. Ringius illis: *pro thalamo tumulum destinante deo — prius orbus quam natus patrem sepeliuit antequam vidit — dum optimum maritum luget, tumulo hoc gaudia sua tumulat — vix in patriam redux fructuum dum primitias metit in primo adolescentiae flore demetitur;* si his igitur aliisque delectatur, frua-

tur sapientia sua et ingenio. Dedit haec Cl. *Schoepflinus* ingenio cum hominum, tum temporum. Repeti vero ea non opus est.

Vltima voluminis pars inscripta est: *Appendix historica:* Hac continentur, praeter Stanislai I. Poloniae regis, defensionem, *Gallico* sermone conscriptam; ideo additam a Cl. *Ringio*, quia in paucorum manibus hic libellus est, et, vt raram verborum elegantiam repetamus, *in hoc, qui nunc est, rerum Polonicarum situ vel vtilis adhuc, vel certe lectu non iniucunda esse aliquibus poterit*, breues obseruationes historicae, ab auctore ideo, credo, propositae, vt iuuentuti disserendi argumentum praeberet.

Diximus libere sententiam nostram de orationibus his, nec fore credimus, vt Cl. *Schoepflino* haec nostra libertas displiceat. Nam, id quod iterum dico, in iis, qui eruditionem senis optimi, humanitatem, reliquasque virtutes venerentur, qui viro de litteris immortaliter merito vegetae senectutis vsum precentur, nomen profiteor meum. Non credo virum sapientem adulatoribus delectari, ad voluptatem aurium omnia loquentibus, non ad veritatem,

cun-

cuncta laudantibus et mirantibus: iucundiores illi procul dubio sunt laudes, *ab iis* profectae, qui dum, quae sibi displiceant, fatentur et accurate a se omnia examinata esse ostendunt, et his ipsis reprehensionibus fidem veris faciunt laudibus. Equidem nec placere totus cuiquam, nec displicere volo.

II.

Essai sur la Peinture en Mosaique, par M. le V***. *Non norunt haec monimenta mori.* Ensemble une Dissertation sur la pierre spéculaire des Anciens par le même.

Parisiis. apud Ventium, 1768. pagg. 166. 8.

Multa ait Auctor se debere Ioanni Ciampino atque Ioh. Alex. Furietto, quorum hic de Musiuis librum edidit, ille in veteribus monimentis hoc antiquae artis genus non paucis exemplis illustrauit. Hos vero libros cum hoc quidem tempore non euoluere liceat, adeoque nulla sit hos auctores inter se comparandi nobis copia, quantum Noster

ster ab illis sumserit, indicari a nobis non potest. Interim non omnino satisfecit nobis auctor. Nam et veterum scriptorum testimonia, vt fieri solet in Gallia, parum accurate laudauit, neglecta etiam recta Graecorum aliorumque verborum scriptura, (*) et breuius de quibusdam exposuit, quam par esset. Neque tamen ideo spernimus operam Viri docti, immo commendamus huius libri lectionem iis, qui artium cognoscendarum cupiditate teneantur, atque huius quoque artis historiam discere velint. Nam huiusmodi generis monimenta plures ob caussas nostro studio digna sunt. Valde delectati sunt musiuis operibus veteres, ideoque non pauca ad nostram memoriam peruenerunt. Tantam vero in hac arte perficienda operam posuerunt cum olim, tum recentiore aetate, vt cum pictoribus, qui penecillo vtuntur, de colorum flore et veritate certarent, musiuarii. Denique haec opera omnium optime coeli aërisque iniuriis resistunt atque perennitate reliqua fere cuncta vincunt. De his igitur Noster in hoc libello egit, licet

non

(*) v. c. p. 124. ex actis Leypsianis eruditorum.

[illegible] satis, tamen, nec inelegantèr.

Cap. II. de origine artis musiuae.

Eam valde antiquam esse, nec definiri certo aetatem artis inuentae posse. Persis, regionem variis lapillis abundantem incolentibus, inuentionis laudem tribuit; ab iis accepisse haec opera Assyrios, secutos esse Graecos et Romanos. [Nisi me omnia fallunt, occasionem huiusmodi operum conficiendorum dedit ars antiquissima acu filisque diuersicoloribus telas vestesque pingendi. Certe textoris ars, flores, homines aliaque filorum colorumque varietate imitandi facile commonebat ingeniosos homines, vt idem tentarent lapillis versicoloribus efficere.]

Initia artis fuisse rudia: primum musiuarios pauimenta et muros marmoris crustis versicoloribus iisque amplis conuestiuisse; post vero minutis tessellis siue lapidum, siue vitri coloribus tinctis, vsos fuisse, omniaque, quae vellent, hac arte imitatos. Hieronem Syracusanum totius Iliados argumentum hoc modo exhibuisse in naui illa immensa, cuius veteres mentionem faciunt, [quam dum dicit Auctor ab Archimede incen-

sam

ſum fuiſſe, errat: procul dubio Athe-
naeus potius, qui ex Moſchione huius
nauis deſcriptionem repetit, Archime-
dem narrat huius nauis fabricae praefu-
iſſe, atque machina, helice, in mare
illam protraxiſſe. (*)] Graecos, ſo-
lis lapidibus non contentos, vitrum
multo aptius adhibuiſſe. Hac arte tem-
pla fuiſſe decorata, primumque ope-
rum eiusmodi Romae fuiſſe pauimen-
tum in templo Iouis Capitolini paullo
ante bellum Cimbricum. Ante Augu-
ſtum iam pauimenta teſſellata fuiſſe in
aedibus Conſulum et Patriciorum: ſub
Imperatoribus viguiſſe hanc artem, ma-
xime enituiſſe ſub Adriano: Conſtanti-
num illa ad ornandas Baſilicas vſum
fuiſſe [Parum accurate recenſet Auctor
clara huius artis monumenta, a ſcripto-
ribus commemorata, nec diligenter ſa-
tis quibusdam auctoribus vſus eſt. Si
Procopii de aedificiis Iuſtiniani libros
euoluiſſet, memorabilia inuenire pote-
rat non pauca. Huc pertinet inprimis
longa deſcriptio muſiui operis, quod
veſtibulum Regiae ornabat. (**) Eam
hoc

(*) v. Deipnoſoph. L. V. p. 206.
(**) v. Procop. de aedif. L. I. c. 10. 11. p. 24.

hoc loco repetemus, interpretationem loci latinam daturi. Nam nisi Procopius rem verbis auxit, profecto inter nuſsima hoc opus primo loco ponendum est. "Tota camera inquit picturis ridet, non ceris inustis illitisque compacta, sed apta tessellis colorum omnium varietate nitentibus, quae cum aliarum rerum cuiusque generis tum hominum imagines repraesentant, quaenam autem eae picturae sint, declarabo. Hinc et hinc bella, pugnae, quam plurimae captae vrbes Italiae Africaeque. Vincit Iustinianus Aug. per legatum Belisarium. Hic ad imperatorem redux cum exercitu integro exuuias ipsi offert, reges ac regna, et quicquid inter homines excellit. In medio stant Imperator ac Theodora Augusta, ea vterque specie, vt summam laetitiam prae se ferant et festo victoriam celebrent, captis supplicitenque accedentibus Vandalorum et Gothorum regibus insignem. Circumstant senatores, omnes festum agitantibus similes. Hoc enim exprimit vermiculatum emblema, in eorum vultibus renidente hilaritatis flore. Itaque gestiunt et subrident, honores

„coe-

„coelestibus parem Imperatori ob rerum „gestarum magnitudinem impertien„tes." Constantinopoli nil fuit his musiuis operibus frequentius, aut quod magis ad ornandas aedes necessarium iudicaretur. (*) Quare non pauci Imperatorum hanc artem adamauerunt. In villa Adriani Tiburtina plurima musiua opera inuenta sunt hoc seculo. Quam pauca vero Auctor de his dicit! Illud quidem clarissimum opus, in quo columbae apparent, quodque forsasse, est idem, quod Sorus Pergami fecit, silentio praeterit. Et poterat illud auctori occasionem praebere de arte veterum sententiam dicendi. Immo vix ignoscendum est Auctori, de musiuis operibus loquenti atque omittenti inimitabile monimentum, e ruinis Pompeiorum protractum, cui pretium addit quoque titulus ΔΙΟΣΚΟΥΡΙΔΗΣ ΣΑΜΙΟΣ ΕΠΟΙΗΣΕ. De his accuratius egit in opere Phidiaco Winkelmannus, (**) cuius vt accuratam diligentiam

(*) v. Car. du Fresne Constantinopol. Christian. L. III. p. 13. et 38.

(**) *Geschichte der Kunst.* p. 405. sequ. add. *Nachrichten von den neuesten Herculanischen Entdeckungen.* p. 25.

tiam omnes innitentur optamus, qui de artibus ſcribere in animum inducant.].

Cap. II. vnde verbum muſiuum deriuandum ſit, quibusque nominibus veteres haec monimenta appellauerint? Auctor Scaligero aſſentitur, qui huic verbo originem dediſſe putat Μȣσαν Muſam, μȣσικὸν, ἔυμουσον, quibus verbis Graeci indicabant amicam omnium partium ad elegantiam conſpirationem. [Etiam in hoc capite deſideramus accuratam diligentiam. Opus huius generis dicebatur etiam muſeum. In titulo antiquo legitur (*) OPERE MVSEO EXORNAVIT. Sequiore aetate dicebant *Muſium*, *Muſidium*, *Moſiuum*, *Moſaicum*, immo *Muſa* et *Muſileum* opus. quae verba omnia luculenter illuſtrauit Carolus du Freſne. (**) Nec quae ad explicationem verborum *Lithoſtroton* et *teſſellatum opus* Auctor profert, ſat accurate dicta ſunt. Accuratius rem explicat Salmaſius. (***)]

Cap.

(*) v. Sponii Miſcell. p. 39.

(**) in Gloſſario ad ſcript. med. et inf. Latin. T. II.

(***) in Exercit. Plin. ad Solin. p. 854. et ad Spartian. Peſcenn. Nigr. p. 657. ed. Lugd. 1671.

Cap. III. de praeſtantia operum muſiuorum varioque vſu. Perennis et nitidus ſemper ſplendor eorum laudatur. Induſtria et incredibilis artificum, qui ea conficiunt, patientia laboris deſcribitur. Exempla muſiuorum operum, a Cayluſio exhibita, commemorantur, in quibus et colorum lumen et bene huic reſpondentem vmbrarum obſeruationem laudat. Denique de pauimentis teſſellatis, de cryptis *Herculanenſibus erutis* loquitur. [Vnum genus artis, quod muſiuorum ad operum imitationem effictum eſt, eodemque nomine inſignitur, Auctor praeteriit. Varias ſupellectilis partes legimus vnionibus gemmisque fuiſſe ita ornatas, vt inde figurarum quarundam ſpecies coaleſcerent. Codinus (*) Imperatorem geſtaſſe dicit *ὑποδήματα μεζαικὰ*, id eſt, purpureos calceos, in quibus aquilae erant, ex vnionibus compoſitae. Locus eſt: *Τὰ δ᾽ ὑποδήματα αὐτοῦ διβολέα, χρώματος ὀξέως καὶ λευκοῦ, ἔχοντα ἀετοὺς μαργαριταρένους ἐκ πλαγίων τε καὶ ἐπὶ τῶν ταρσῶν ἤτοι ἐπάνω τῶν ὑποδημάτων τῶν μουζακίων.* Quem locum Iacob. Goar non recte

(*) de officiis Conſtantin. c. 3. p. 45.

recte coepit quidam Meursium videt, ipse nisi dignus. Rectius Iac. Gretserus explicat, *malactor pictor quasi de musiuo, quia pittaciolis versicoloribus interstincti erant.* Ille vero locus Trebellii Pollionis (*): *Tetricorum domus hodieque extat, in qua Aurelianus pictus est, utrique* (Tetrico) *praetextam tribuens senatoriam dignitatem, accipiens ab his sceptrum, coronam ciuicam picturatam de museo,* nescio an huc pertineat. Probabilius videtur, totam imaginem fuisse musiuam. Et est locus hic valde corruptus a librariis. Forte vnice vera Salmasii coniectura: *picta omnia de museo.* Auctorem nostrum ipsum locum non inspexisse facile patebit consideranti ea, quae de illo dicit (p. 44.). Immo sigilla componebant e gemmis figurasque e pretiosis lapillis, vt docet claris exemplis Iul. Caes. Bulengerus (**). Huc inprimis pertinet imago Pompeii e margaritis et museum ex margaritis: quorum operum mentionem facit Plinius (***).]

(*) in *trig. Tyrann.* c. 24. p. 322.
(**) de Pictura Plastice, etc. L. I. c. 8.
(***) H. N. L. XXXVII. c. 2.

Cap. III. de opere musiuo, quod in templo Fortunae Praenestinae Syllam posuisse fertur. vbi Auctor repetit sententiam viri praeclari et eruditi Bartholomaei, qui Huius monimenti descriptionem edidit. Winkelmanniana vero eiusdem pauimenti interpretatio ignota illi fuisse videtur (*). Nam nullam eius mentionem facit. [Nos hoc loco monebimus, quoniam ab Auctore illud omissum esse videmus, eo progressos fuisse Constantinopoli praesertim, homines, vt non solum vitreis calculis vterentur versicoloribus, sed inauratis quoque tessellis delectarentur. Id quod scriptorum locis ostendit, qui tale opus notat Anastasium vocasse *Musiuum deauratum*, quemadmodum alii χρυσᾶς ψηφῖδας, χρυσαυγεῖς ψηφῖδας commemorant, Carolus du Fresne in commentario ad Paulum Silentiarium (**), qui quidem Paulus habet luculentos, qui ad musiua monimenta spectant, versus, eum hos (in Part. II. 188.)

Λαόνι-

(*) *Anmerkungen zur Geschichte der Kunst.* p. 103.

(**) ad Paul. Silent. Descript. S. Sophiae. p. 531. et 556.

Λευκότερον, τὰ δὲ τοῖχοι ἐΰγραφοι δαίδαλα τέχνης
Πάντοθεν ἀστράπτουσιν ἁλιστεφέος Προκοννήσου
Ταῦτα γὰρ ἐξελέγχουσι κ. λ.

tum eos (230.)

Πρὶν δὲ πολυτμήτοιο σέλας ψηφῖδος ἱκέσθαι
κ. λ.

Proconneso huius artis inuentio, quanquam locus forte etiam aliam interpretationem admittit, ideo tribuitur, quia abundabat haec insula marmore, ob nitorem et pellucidum colorem, a Vitruuio laudato (*) et aliis. Vnde cum non haberet Iustinus Curopalates, in restaurando templo Sophiae, versicolores lapides, e Proconneso illos arcessiuit (**).]

Cap. V, de Christianorum erga opera Musiua amore. Sub Constantino horum operum frequentissimus vsus in templis increbuit. Cruces, candelabra, aras, quibus reliquias sacras condebant, cistas hac arte ornabant. Magis magisque post ea tempora haec pictura inualuit.

(*) v. Vitruv. L. XI. c. 7. conf. Caryophilum de antiqu. marmor. p. 17.

(**) v. Codinum de Origin. Constant. p. 72.

valuit. [Scilicet ipſa ingenii, quod antiquiorum temporum monimenta oſtendunt, vis et magnitudo exſpirauerat. Huius in locum ſucceſſerat minuta diligentia, quae non defatigatur facile, et licet in magnis et arduis non conſpiciatur, in paruis rebus accuratiſſime efficiendis eniteſcit. Contra nobilem quandam negligentiam illa aetas, quae Phidiam et Phidiae ſimiles viros vidit, amabat, certe eam obſcurae praeferebat diligentiae.] Pontifices atque Epiſcopi eiusmodi opera confici curauerunt, imprimis Sixtus III. cuius exemplum vsque ad Ioannem VIII. imitati ſunt omnes. Titulos etiam verſusque latinos addiderunt. In Italia inde a quarto vsque ad octauum ſeculum templa muſiuis ornabantur, Roma, Rauenna, Piſa, atque Florentia videbantur quaſi certamen aliquod iniuiſſe. Quibus in operibus non linearum veritas aut elegantia ſpectabatur, ſed ſoliditas atque pretium.

Cap. VI. qualia argumenta muſiuarii in templis expreſſerint? Ea ex veteri atque nouo Teſtamento repetita erant. Chriſtum ſolio inſidentem, geniisque coeleſtibus cinctum, vates ſacros, legatos Chriſti, Mariam et Martyres exhibebant

bebant. Vbi memorabile est, non dedisse illos, vana de maiestate et gloria opinione ductos, vnquam imaginem Christi cruci affixi, sed lapidum nitore et radiorum splendore quam maxime diuinam, vt putabant, speciem Dei reddere studuisse. Vultus quoque Pontificum musiuo opere expresserunt proposueruntque in templis.

Cap. VII. qualis fuerit huius artis vsus in templis Galliae et Graeciae Christianae. In oriente non poterat cupiditas horum operum satiari. Immensis ea sumtibus conficiebant. Gallia hanc artem ab Italis acceptam, et primum pauimentis tantummodo dicatam, mox templis intulit.

Cap. VIII. Bella Gothorum et Visigothorum, Saracenorum irruptiones, Romae sub Constantio II. depraedatio aliaeque turbae, vt artium omnium, sic musiuae cultum paullatim extinxerunt. Theodoricus interim musiua amauit. Inde ab Hilarii aetate, vsque ad Leonis III. aetatem, id est, intra trium seculorum spatium, quinque tantum pontifices hanc artem ad decoranda templa vel palatia adhibuerunt, non sine magnis sumtibus, nam e Graecia artifices arces-

arceſſendi erant. Octauum ſeculum huic arti in oriente infeſtum fuit. Qui imagines abolere ſtudebant, nec huic monumentorum generi parcebant. Sec. XI. tamen in Gallia pauimenta quaedam teſſellata conſtructa fuerunt. Muſiuaria vero ars ceſſit picturae in vitro, qua feneſtras templorum ornabant, cuique tum maxime ſtudebant.

Cap. IX. Graeci in Italia ſub initium ſec. XI. muſiuariam reſtituerunt. Florentiae, Venetiis et Romae eiusmodi opera conficiebantur. Filii ducis, Angeli Particiatii Venetiis templum Marci magnificentius reſtituere ampliſſimasque muſiuas picturas proponere coeperunt. Poſt duo ſecula Florentia, vbi Andreas Taffy hac arte excelluit, Venetias aemulabatur. Inde a Sec. XIII. haec ars Romae ſedem domiciliumque fixiſſe videtur.

Cap. X. Quos in Italia progreſſus haec ars fecerit, Auctor commemorat, celeberrimosque artifices recenſet, quorum nomina claris monimentis innotuerunt. Immo ſub finem Sec. XVII. Paulus Chriſtofanus ſcholam muſiuariam Romae aperuit, vnde felices picturarum optimarum imitatores prodierunt.

runt. Hoc modo Poussini, Lanfranci, Maratti, aliorum pictorum tabulae clarissimae aeternitati traditae sunt. Ingeniorum artiumque admirabilis spectator Benedictus XIV. musiuariam picturam liberaliter fouit, quique illi successit, Benedicto non admodum similis, siue prudentiam spectes, siue ingenii elegentiam, Clemens XIII. pulcherrimas Vaticani templi picturas musiuo opere exprimi curauit. Vnde Auctor hanc artem summum fastigium attigisse in Italia colligit.

Cap. XI. et XII. ad rationem huius artis exercendae spectat. Clare enim Auctor, quo modo musiuarii in suis operibus componendis versentur, docet. De duplici vero operum genere agit, cum de iis, quae e vitris versicoloribus crustis componuntur, tum iis, quae lapillis variis constant. Sed quoniam haec pars ad artificium ipsum pertinet, totam eam relinquemus illis quorum interest, haec plenius et accuratius cognoscere.

Breuiter quoque attingit artem, tabellas ligneas tenuiores, variis coloribus tinctas, sic effingendi, collocandi conglutinandique, vt pictura inde com-

 ponatur.

ponatur. Haec picturae genus recentiore aetate artifices reperisse atque excoluisse notum est. Veteribus idem fuisse vsurpatum, nescio an sat accurate Auctor dicat. Ligna quaedam in laminas secta iisque ignobiliorem materiem inductam, immo ebore atque testudine variam supellectilem distinctam fuisse scimus. Sed longe haec res distat ab ea, de qua hic sermo est, arte. Illam credo indicasse Plinium (*): *Haec prima origo luxuriae, arborem alia integi et viliores ligno, pretiosiores cortice fieri. Excogitatae sunt et ligni bracteae. Nec satis, coepere fingi animalium cornua, dentes secari, lignumque ebore distingui.* Haec vero variegatis lignis figuras certas exprimendi ars an veteribus in vsu fuerit, me ignorare cum Scheffero (**) profiteor. Haec de illo libello.

In altero, cuius argumentum Auctor in fronte libri indicauit, primum narrat, valde dissentire viros doctos inter se de lapide speculari. Tum phengitem a lapide speculari diuersum fuisse ostendit, atque hoc nomine insigniuisse

docet

(*) Hist. Nat. XVI, c. 43.
(**) de arte pingendi p. 54.

docet Plinium gypsum, lamellosum atque pellucidum. [Quod vero putat, Romanos vitrearum fenestrarum usum omnino ignorasse, errat procul dubio. Nam etiam fenestras e vitro factas illos habuisse, primis iam Imperatorum temporibus, probabiliter, ni fallor, docet Winkelmannus, cum loco Philonis memorabili hanc in rem usus, tum adductus fragmentis vitri, in Herculanensibus aedibus repertis (*).] p 140.

III.

Sylloge Noua Epistolarum varii argumenti, Volumen V. in quo liber XI.

Norimbergae, impens. Felseckeri, 1769. Alph. 1. 8.

Quantum nos delectet epistolarum a viris doctis scriptarum lectio, alio tempore fassi sumus. Non omnes quidem, quas hoc volumen complectitur, magni momenti sunt. Quaedam officiosae humanitatis plenae sunt: aliae vix

(*) v. *Anmerkungen über die Baukunst der Alten.* cap. 1.

vix narrant quidquam, quod scire magnopere velis. Sed vel sic gratam nobis rem fecit et iucundam Cl. *Vhlius*, edito hoc volumine, cui vt plura addat, hortamur virum eruditum. Nam nefas est orare illum, qui lubentissime, quibusque potest, modis omnibus nostris studiis inseruit.

Sed inuitemus etiam alios ad eandem ex his litteris voluptatem capiendam, eorum, qui illas scripserunt, nominibus indicandis. Multis laudibus extollit *Fridericus Brummerus* illum decantatum Aurelianensis puellae patrem *Ioannem Capellanum*, litterisque, quas scholasticas et vmbraticas dixeris, eum cum Nestore Homerico comparat. *Reinesium* de itinere Gallico certiorem facit virisque doctis a se salutatis. Praeclare inprimis iudicat de Io. Frid. Gronouio:

p. 12. „Verba, inquit, mihi desunt ad exprimendam summam viri probitatem, fidem, modestiam, humanitatem, eruditione pari coniunctam. Vnicus certe Gronouius Lugduni litteras labascantes sustinet."

Guil. Burnetus nunciat *Ez. Spanhemio* res publicas. Praeter alia vero sententiam quoque de Cryptis Romanis et

Nea-

Neapolitanis dicit: „ Non possum animum inducere, vt credam, tantum „ fuisse Christianorum numerum tempore persecutionum, vt hisce operibus par censeatur. „ Tum quantus fuerit Christianorum numerus postquam probabiliter definiuit, addit: „ Numerus Christianorum talis esse non potuit, vt ad tam ingentem excauationem par esset. Quid? quod et talis „ excauatio secreto fieri non potuit; vnde tumulos illos in catacombis fuisse „ ethnicorum seruorum forsan et aliorum proletariorum, quibus rupes pro „ tumulo sufficeret, qui forsan excisi „ fuerunt post sepulturam a Romanis „ vsurpatam, quod, ni fallor, sub tempora Antoninorum cadit, et quod ad „ inscriptiones attinet, has a monachis „ confictas crederim, qui etiam seculo „ Hieronymi reliquias circumferebant „ lucri causa, et quibus non deerant artes improbae ad merces suas commendandas. „ Quae quidem sententia cum aliorum auctoritate, tum rei veritate ipsius luculenter confirmatur, quicquid ii contra dicant, qui lucelli causa aliam opinionem defendunt. p. 24.

Herm.

p. 35. *Herm. Conringii* ad eundem epistolae multa continent, quae ad consilia vtriusque et scripta spectant. Hinc discimus Spanhemium Principis electoris Palatini iussu nouam Lucani editionem suscepisse. Ipso vero de Lucano sapienter Conringius iudicat, meliusque multis, qui in his litteris aliquid vel esse putantur, vel videri volunt. „Poetica „facundia, dicit, ita omnia cantata sunt, „vt me quidem hactenus in sui admira„tionem rapuerit, dolore simul adfe„ctum, quod ab vsque adeo paucis poe„ta ille ex merito aestimetur.„

Plenae sunt *Gisb. Cuperi* epistolae, quas ad *Spanhemium* eundem dedit, quaestionibus variis, quae ad nummos antiquos aliasque rei antiquariae partes pertinent. Inprimis de Asiarchis subtiliter et accurate exponi coepit. Iacobum

p. 136. Gronouium appellat „hominem mor„dacem et de omnium eruditorum, „Tros Rutulusue fuat, fama detrahen„tem.„

In *Arnold. Drakenborchii* ad *Io. Herm. Schminkium* litteris amabilem viri boni, candidi, officiosi, fidelis imaginem conspicimus et exosculamur. Multa scripsit de noua Silii editione, de Mattia-

cis

cis Gallicanis, de munere professoris, Schminkio in Traiectina Academia post Burmanni discessum oblato. Vbi narrat, bibliopolam nolle Nouellas Iustinianas edendas suscipere, addit: „Cum „enim tantopere studium linguae Grae„cae, praesertim apud iurisprudentiae „cultores his in regionibus frigeat, vt, „si vnum vel alterum forte excipias, „nemo inueniatur, qui vel primis hu„ius linguae elementis inbutus sit, ne„cesse esse conficiebat bibliopola, vt „tandem hic liber tineis ac blattis esca „foret." Haec si bonus vir de Belgio dixit, qua in regione Graecas litteras et exemplo et scriptis iuuerunt viri docti, quid, quaeso, dicamus nunc de Germania, quae nugas canoras et ineptas fabulas vnice amat, nullisque libris delectatur magis, quam quos in tenebris pessima conuiciatorum turba quotidie euulgat, descendentibus in Typhaea haec antra *sacri ordinis* sodalibus. Proh pudor!

Nic. Heinsii epistolae vltimum locum occupant. De Petronii in Dalmatia reperto fragmento praeclare existimauit vir eruditus: „Quanquam, scribit, non „is ego sum, cuius iudicio deferri mul- p. 209.

„tum

„tum hic oporteat, praesertim in con„traria euntibus plerorumque litterato„rum hominum sententiis, ausim ni„hilominus asseuerare, fragmentum il„lud pro genuino Petronii ipsius foetu „esse habendum. Mendosissime, fa„teor, ab imperita librarii manu descri„pta sunt eius fragmenti pleraque, sed „quae tamen hanc ob caussam tam leuem „auctori suo non conueniat, abiudicari. „Norunt enim, qui libris veterum euol„vendis sunt exercitati, antiquissimum„quemque codicem naeuis creberrimis „esse coinquinatum. „ Sed credo idoneis argumentis viros doctos docuisse, indignum esse Petronii elegantia fragmentum Traguriense. — De Ezech. Spanhemio magnifice iudicat Heinsius.

p. 232. „Spanhemii, ait consuetudinem tibi in„video: ea morum suauitas est in illo „viro, id eruditionis flumen, vt hoc „vno abunde compensare possis, dum „in Vbiis aetatem agis, quicquid in ce„teris oppidanis egregiae dotis ac lau„dis abs te desideratur. „ Quod quidem viri eruditissimi iudicium ideo repetendum esse duximus, quia inde ab aliquo tempore, quosdam, qui in his litteris sibi regnare aliisque dii esse videan-

deantur, detrahere incepisse animaduertimus de meritissimis Spanhemii laudibus. Nam cum copiosissimam viri doctrinam imitari nequeant, spernunt eas opes et contemnunt, quas si possiderent, quam sese eosdem beatos praedicaturos esse existimemus? quam in sinu gauisuros esse credamus?

IV.

Raccolta d'antiche Statue, Busti, Bassirilievi, ed altre Sculture restaurate da *Barthol. Cavaceppi.* Volume primo.

Romae, 1768. fol. cum tab. aen. LXI.

Celebrata fuit multorum laudibus, atque etiam his in regionibus spectatur egregia *Cavaceppii* ars, veterum sculptorum opera, hominum temporumue iniuria mutilata, tam apte et eleganter restituendi, vt et minus aegre feras antiquae partis iacturam et manus peritissimae dexteritatem admireris. Quia quidem in arte quam rationem sequatur praeclarus artifex, clare intelligitur ex eo, quem praefixit operi suo, breui

libello. Nam ibi, quomodo reficiendae ſint veteres ſtatuae, docet. Commendat inprimis, vt alia, quae artificio coniunctiora ſunt, omittamus, ſollertem manus cuiusque ſculptoris imitationem, quae non tam ex venuſtate ſpectatur, quam ex ſimilitudine. Non, quae deſunt, partes reliquo corpori ſic accommodandas eſſe monet, vt quam optime eae effingantur, ſed vt quam maxime accedant ad ſimilitudinem totius operis, nec ab ingenio artificis antiqui abhorreant, licet eas perfectius, elegantius, rectius a ſe confici poſſe, videat is, qui manum antiquae ſtatuae reficiendae admouet. Neque enim hic artis perfectio quaeritur: imitandi ſollertia poſtulatur. Quare etiam Michael Angelus, dum in eiusmodi operibus pulchritudinem et artem ſectatus eſt ſolam, magis certamen iniiſſe cenſendus eſt cum antiquis ſculptoribus, quam illorum ingenium manumque ante oculos habuiſſe.

Atque hanc veterum manuum imitationem praeferunt refecta a *Cavaceppio* antiqua monimenta, quorum egregiam ſpeciem ex hoc opere licet colligere. Eſt enim eorum forma radio ſcitiſſime

inſcri-

inſcripta laminis aheneis, quorum ad iucundam contemplationem nobilis linearum ſimplicitas atque radii vſus probatiſſimus oculos allicit. Locus profecto dandus eſt in Muſeis huic operi inter immortalia opera, quorum auguſta ſpecies antiquorum, quorum gloriae dicatae ſunt, temporum ſplendore digna eſt.

Interpretationes monimentorum additae ſunt huic operi nullae. Paucis, quem deum hominemue ſtatua quaeque praeferat, vbi quodque opus exſtet, narratur. Quare neque nos disputabimus cum praeſtantiſſimo artifice de nominibus, ſtatuis quibusdam, fortaſſe non ſat ob idoneas cauſas impoſitis. Breuiter tantum indicabimus opera pulcherrima, quae hoc volumen complectitur.

I. Egregia Palladis, ſtantis, veſtitae, galea et aegide armatae, ſtatua primo loco collocata eſt. Vultus deae verecundiam virginalem et ſapientiam diuinam ſpirat. Ornat ea villam Albanam. II. Ibidem exſtat Leucotheae ſtatua, paruulum Bacchum, cuius nutrix fuerat, bracchio tenentis atque illo capitis ornamento, quod κρήδεμνον appellant,

ornatae. III. Eiusdem Albani in villa conſpicitur ſtatua Domitiani, nuda, magna laude digna. IV. Ara egregie caelata, praefert Venerem ſedentem, haſtam et clypeum tenentem. Arae inſiſtit Genius, amphoram geſtans humeris, iam libaturus, ni fallor, deae. V. Venus victrix, veſtita, calcat arcum plenamque ſagittis pharetram: manu haſtam tenet. Talem memini in gemmis antiquis me videre Venerem. Hanc vero ſtatuam duplex cingulum, quod Venus praefert, memorabilem reddit. (*) VI. Canis Moloſſus, cui licet magnam laudem tribuamus, tamen eundem, omnibus indiciis argumentisque deſtituti, Phidiae auctori tribuere non poſſumus. VII. Venus φιλομμειδὴς, leuiter inferius veſtita, et diademate ornata. Adſtat herma, Philoſophum praeferens. [E Platonis ſchola, qui venuſtiſſimum monimentum excogitauit, prodiiſſe videtur. Quam multa apud amabilem Philoſophum occurrunt, de amoris et ſapientiae coniunctione, omni melle dulciora? Nam

ſapien-

(*) *Winkelmanns Geſchichte der Kunſt.* p. 198.

sapientiae Alumnus virtutisque magister appellatur Amor.

Παίδευμα δ', Ἔρως, σοφίας, ἀρετῆς
Πλεῖστον ὑπάρχει. (*)

Nonne haec fuit etiam mens scalptoribus gemmarum duobus, qui Cupidinem exhibuerunt, caput Philosophi sculpentem? (**) Scalptorum haec triga, quae myrto et rosis ornetur a Gratiis digna est.] VIII. Faunus saltans vuamque in altum tollens, brachio pelle revincto. IX. Athleta, auribus quasi conquassatis, non prominentibus a capite, conspicuus. Sequuntur Ceres, papauer et spicas manu praeferens, coronaque spicea cincta, Hygiea, Agrippina, tanquam altera Ceres, papauer et spicas habens, Ganymedes pateram gestans, aquilae adstanti nectar forte praebiturus, Mercurius iuuenis, Musa stolata, volumine conspicua, Silenus pilosus, pateram tenens vuamque comprimens. XVII. Bacchus, diademate et

 hede-

(*) v. Athen. Deipn. XIII. p. 561.

(**) v. Museum Florent. Vol. I. t. 78. n. 6. et Dactylioth. Lippert. Mill. I. n. 801.

hedera cinctus, quiescit, altera manu supra caput reclinata, altera, qua vuam tenet, trunco, pampinis ornato, imposita. XVIII. Palladis in statua non tam aegis et hasta, quam galea, personae similis, oculos aduertit. Hanc excipiunt Ceres, Consul Romanus, quem Traiani patrem, Vlpium, quidam existimauerunt, athleta, qui caestus manibus induxit, Venus, vestita inferius, Nero, togatus puer, Antinous admirabilis, altera manu cornu copiae, quod serpens ambit, felicitatis index, tangens, pilosus Silenus, complectens truncum, vnde pantherina pellis dependet. His non minora sunt, quae statim sequuntur, opera. Certasse videtur *Cavaceppius* cum antiquis de artis laude. In Hadriani villa Tiburtina anno XXXVI. huius seculi inuenta sunt duo Centaurorum simulacra, e marmore nigra praeclare facta: inuentus fuit Faunus ex rubro marmore effictus, ridens, dextra racemum tollens, sinistra pedum tenens, humeros nebride indutus: adrepente a laeua capro ad vimineam cistam, a dextra dependente fistula a trunco. Haec opera, laudata iam multorum ore, imitatione felici *Cauaceppius* expressit. Inde

de a tab. XXIX. conspiciuntur Musae duae, altera duas impares tibias, altera vnam tibiam tenens: Apollo, nudo pectore, manu lyram tenente impositaque trunco, cui vestis iniecta est: Flora serta sua ostentans: Apollo nudus, lauro ornatus, lyram et plectrum habens: Aesculapius. XXXV. Nuptiae Romanae, anaglyptico marmore expressae. Praeter tres alios homines apparet sponsus virgini dilectae manum porrigens. Cupidinem additum fuisse, quis miretur? Hoc teste dextrae iungendae erant. XXXV. Veneris statua, simillima Mediceae statuae. nam saepissime hoc exemplum repetitum est. Delphino inequitat Amor, gubernaculum tenens. XXXVII. Bacchus nudus, pampino reuinctus, altera manu vuam ostendens, alteram capiti imponens et tibiam tenens. XXXVIII. Pomona sedens, altera manu pateram fructibus plenam, altera vuam praeferens. Caput serto ornatum est, sertaque a humero per pectus descendunt: vt saepe Amor in antiquis monimentis eiusmodi corollis ornatus apparet. XXXIX. Silenus obesus pilosusque inequitat capro; tectus pelle vuam comprimit. XL. Genius

alatus, pelle tectus, altera manu facem, altera vas gestat. XLI. Hercules senex, cum pelle leonina et claua, tria poma manu ostentans, addito Cerbero. XLII. Discobolus nudus, quem ferunt eodem ab auctore effictum fuisse, cui gladiatorem in villa Borghesiana debemus. Hunc comitantur Mercurius, Musa sedens atque volumen legens, alia Musa, tibiam gestans atque athleta, ne de protome muliebri quidquam dicamus, atque Delphino, Herniam mortuum amante. Imitatus est enim Noster hoc opus a Laurentio Lotto, Florentino sculptore ad linearum Raphaëlis Vrbinatis exemplum perfectum. XLIX. Lychnuchi basis, egregie caelata magnificentiam ostentat, a veteribus in hoc quoque supellectilis genere adamatam quaesitamque. Sacrificium in vno latere contemplamur. L. Non minorem artem caelatoris praefert pulcherrima ara, cui Ibis imposita. LI. Fortuna, cui gubernaculum, cornu copiae et modius addita sunt. LII. Eadem Fortuna solio insidet, adstantibus ab vtraque parte leone et grypho. LIII. Caput ignotum, cuius ornatam galeam videas comparare cum galea Mineruae ab

Aspa-

Aſpaſio datae (*). LIV. Ara ſepulchralis, figuris extantibus et titulo ornata. Inſiſtit Venus, concham tenens. Sequuntur Iuno, nudus Apollo, iuuenis tunica fructus geſtans et pampino cinctus, [quem Vertumnum eſſe fere ſuſpicor (**)] Lucilla Vraniae habitu, Ceres ſedens, papauere et ſpicis cincta, calatho fructibus pleno addito. Tandem exoſculamur animo Nympham iacentem;

O quam te memorem virgo? o Dea certa!

Recenſuimus ſexaginta pulcherrima artis monimenta. Totidem enim hoc volumen complectitur. Parum vero verba proſunt. Quis enim ſperet, ſe totam oratione monimentorum ſpeciem expreſſurum eſſe, quae oculis a quoque, illius cognoſcendae cupido, adſpici debent? Nam quod poeta ait, ſegnius irritare animos demiſſa per aures, quam quae ſint oculis ſubiecta, illud quam verum ſit, experietur qui eiusmodi operum ſpeciem ex ſolis deſcriptionibus eorum, licet vel optimae

 ſint,

(*) v. Stoſchii gemmas t. 13.
(**) cf. Begeri Theſ. Brandenburg. T. III. p. 289.

ſint, apud animum ſuum informare conetur.

V.

Ad numismata Imperatorum Romanorum aurea et argentea, a Vaillantio edita, a Cl. Baldinio aucta, ex ſolius Auſtriae vtriusque iisque aliquibus muſeis ſubplementum a Iulio Caeſare ad Comnenos ſe porrigens, opera *Ioſ. Khell*, e S. I. Bibl. Garellianae et rei numariae in conlegio Reg. Thereſ. docendae praefecti, Academiae Hetruſcae Cortonienſis Socii.

Vindobonae, typis Io. Th. nobilis de Trattnern, 1767. 4. Alph. 1. pl. 18. cum fig. aen.

Serius ad nos hoc opus allatum fuit, dignum, quod indicemus rei antiquariae ſtudioſis, cum ob auctoris famam et doctrinam, tum ob egregia, quod complectitur, monimenta. Continentur enim eo complures numi antiqui, ſiue raritatem ſpectes, ſiue pretium conſideres ſane praeclari. Ipſe vero

ro Cl. *Khellius* eorum argumenta sic interpretatur vt exſpectare quisque poteſt a viro, diu et cum laude in hoc litterarum genere verſato. Non ille nos moleſtis longisque ambagibus tenet: breviter omnia et luculenter explicat: paucis verbis quid quemque numum memorabilem reddat, monet.

Non licet, multis exemplis, quae diximus, confirmare. Rei numariae ſtudioſi facile eadem obſeruabunt. Reliquis taedium allaturam eſſe puto noſtram liberalitatem. Breuiter indicabimus p. 2. 3. 7. 14. 28. 35. 44. 60. 104. 156. 188. 190. 259. Nam hisce in locis inprimis acumen viri eruditi et doctrina perſpicitur. Interim tamen quibusdam, quae nobis memorabilia viſa ſunt, expoſitis lectoribus cupiditatem iniiciemus totius operis cognoſcendi. p. 1.

Obſeruat Vir Cl. a monetariis ſemper denariorum typaria etiam auro feriundo adhibita fuiſſe, atque adeo cuiusuis aurei vel argentei, qui adhuc vnici cenſeantur, fratres, vt ita dicamus, diverſi: metalli complures poſteris noſtris eruendos ſupereſſe. — Inter numos Antonii vnus legionis XXVI. mentionem p. 6. facit, aliusque legionis XXX. — In p. 8. numo

numo Augusti Aeneas Anchisen portat: quanquam, si alios numos hac imagine insignes spectes, quales sunt numi gentis Iuliae (*), eosque cum hoc compares, paullum haesitabis, Catanensesque fratres potius in memoriam vocabis. Nam in Amphinomum, patrem gestantem omnia melius conueniunt. Adspice numos gentis Herenniae (**).
p. 13. In Tiberii numo capita aduersa Augusti et Octauiae sororis apparent: quorum illi sol, huic luna falcata insistit. —
p. 22. Aureus Neronis numus hominem paludatum exhibet, sinistro pede arma calcantem, vtraque manu discos continentem. qua imagine fortasse ludi militares quidam, Iano clauso celebrati, indicantur. — Numus Hadriani, cum ti-
p 71. tulo SECVRITAS AVG. habet mulierem sedentem, dextra capiti admota, sinistra hastam tollit; quali forma in pluribus numis securitas appa-
p. 78. ret (***). — In denario Antonini Pii stat mulier, dextra temonem longiorem,

(*) v. Vaillantii Num. Famil. tab. 77.
(**) Ibid. tab. 69. add. Begeri Thes. Brandenb. T. I. p. 390.
(***) Winkelmanni *Versuch einer Allegorie* p. 78.

rem, sinistra florem gestans. „Signum „inquit Vir Cl. pantheum aliquod no„bis exhibet, Spem cum Fortuna con„iunctam, quem typum vnicum adfirmare ausim.. „ — Iunonis Lanuuinae signum praefert Commodi numus. — p. 95. In numo Seueri *Sancta* appellatur Minerua — p. 110. Omnes Getae numos superat is, in quo Minerua galeata sedet, sini- p. 130. stra scuto, cui bubo insidet, innitens bacillumque adtollens, dextra spiras serpentis, arbori adsitae inhaerentis, arripiens. In eiusdem Getae numo pana- p. 131. rium ad pedes securitatis positum est. — Numus Aemiliani praefert Herculem p. 174. nudum, stantem, dextra clauam ad terram demissam, sinistra habentem exuuias leonis arcumque, sagitta, id quod memorabile est, neruo imposita. — Memorabilis est Gallieni numus — p. 181. In auersa parte legitur PIETAS FALERI. Titulus hic commendat Valeriani aui pietatem. Conspicitur capra sub arbore cum duobus pueris, quorum alter lac sugit, alter ad pedem anteriorem, ante quem aquila, considet, infra fulmen. Vir Cl. numum ad Saloninum refert, et commode in memoriam reuocat numos, *Ioui Crescenti* in-

scri-

ſcriptos, in quibus aut Iupiter, aut Caeſar, Iouis ſpecie, caprae inſidet. —
p. 206. Praetereo numum Probi pretioſiſſimum, quem harum lautitiarum ſtudioſi ipſi
p. 235. non ſine voluptate adſpicient. Illud moneo, illuſtrationi numi Licinii iunioris, qui quatuor pueros praefert, quatuor anni partes indicantes, titulo adpoſito FELICIA TEMPORA inſeruire numos Antonini Pii, (*) Cari et Carini (**) et Commodi (***). Namque in his eadem fere ſpecie quatuor anni partes exhibentur. Sed haec hactenus. Si quis exercere voluerit ingenii aciem, nae ille occaſionem inueniet in hoc opere opportunam. Sunt enim numi, quorum interpretationes difficiliores ſunt diſputandique benignam materiem praebent. v. c. p. 190. 212. 238. 250. 251. 259. 283.

p. 266. Si pretium ſpectes, non praetereundus eſt numus maximi moduli. Aequat ille LI aureos Hungaricos pondere.

(*) v. Patini Imp. Rom. Numism. p. 218.

(**) v. Numism. ſelect. Muſeo Tr. de Camps. p. 119.

(***) v. Spanhemii Obſ. ad Callim. H. in Cerer. v. 123.

re. Aduerſa in parte legitur D. N. VALENS P. F. AVG. Protome conſpicitur Imperatoris loricati, capite diademate ex gemmis ornato. In auerſo legitur GLORIA ROMANORVM. Duo imperatores ſedentes communi in ſolio; circa capita nimbi: dextrae elatae, ſiniſtrae tenent globos: Infra R. N. (Romam Nouam ſeu Conſtantinopolin hae litterae indicant) inter quas litteras duo folia lauri, ni fallor, totidemque ponduscula, vel modioli, campanulis prope ſimiles. [Haeret profecto Vir Cl. in his explicandis: nec ego facile diuinauerim. Nil ſimilius his figuris eſt pilis Dioſcurorum, quales in numis gentis Fonteiae pendent. (*) Cogitaui etiam de tintinnabulis, quibus ſacerdotum et procerum veſtes ornabantur; (**) nam his quoque ſimiles ſunt. Sed mihi ipſi hae coniecturae non ſatisfaciunt. Aliis haec relinquo.] Eſt profecto egregium gazae Caeſareae ornamentum hic numus.

Vt chartarum ornamenta aliquid eruditae oblectationis ex antiquitate haberent,

(*) v. Vaillant. c. 65.
(**) v. Cangium in Gloſſar. ſ. v. tintinnabulum.

rent, monimenta quaedam vetusta Vir
p. 2. Cl. addidit. Placet inprimis signum
marmoreum, Constantinopoli Viennam
deportatum, Cupidinis. Suauiter dormit
venustissimus puer in stragula, capiti
culcitra subiecta, sinistra sublata in
caput: dextra, remissis molliter digitis,
arcum tenet, pharetra post dextrum femur
p. 3. loro complicato iacet. Protome
aenea Sileni, hedera coronati Graecam
p. 7. elegantiam spirat. Sequitur aliud sigillum
pueli, delphino hilariter vecti, et
vtraque manu crotala minora iactantis.
Caudae Delphini concha imposita est.
Vir Cl. putat, sigillum hoc vix vsum
alium habere potuisse; quam atramenti
p. 11. continendi. Elegantia singulari se
commendat peluis aenea, venuste caelata,
cui manubria ex duobus serpentibus,
p. 12. scite contortis, accedunt. Sacrificium
Priapi opere anaglyptico expressum
est. Noua nupta videtur deo
p. 13. sacra facere. Romani sculptoris opus
existimat Vir Cl. Romano etiam artifici
tribuit duo pocula argentea caelata.
p. 18. Graeco vere artifici debetur lampas aenea,
ad Satyri considentis similitudinem
efformata. Quantam in lucernis
eleganter effingendis venustatis laudem

posuerint

posuerint veteres, omnes norunt. Non omittemus vas fictile ex eorum genere, quae vulgo Hetrusca dicuntur. Campana rectius a Winkelmanno appellata sunt. Sequitur pulchellum opus: raptus Ganymedis in albo marmore caelatus apparet. Videtur profecto hoc opus omnibus iis laudibus dignum esse, quas ei Vir Cl. tribuit. Vasculum Aegyptiacum aeneum facile alliciet oculos eruditos. Similis prope vasculi species a Caylusio, summo viro, euulgata fuit. Omittimus sigillum aeneum iuuenis sedentis et meditabundi, non solum quia, vt Vir Cl. ipse fatetur, illud a recentiori artifice ad antiqui exempli imitationem expressum est, sed etiam, quoniam linearum non omnino perfecta est ratio. Vltimus locus datus est Canopo, marmore albo formato, hieroglyphicisque signis distincto. Haec monimenta non semel tantum exhibentur, sed aliquoties repetita in hoc libro apparent, quoties vacuum chartarum spatium aliquod ornamentum postulare videbatur.

p. 20.
p. 21.
p. 24.
p. 25.
p. 28.

Quanquam omnia in hoc opere placuerunt, optauimus tamen aliquoties vt maiorem in scribendo curam posuisset Vir Cl. Desiderauimus non solum oratio-

nem, quae Latini sermonis ingenio responderet, sed etiam iucundius amoeniusque dicendi genus. Quidni his blandimentis alliciamus lectores ad rei vtilissimae studium, multiplici tamen illud cum difficultate coniunctum, ideoque omnibus modis emolliendum exornandumque?

VI.

Historische Zweifel und Beobachtungen. Erste Sammlung von Briefen. Halae, ap. I. I. Curtium, 1768. pl. 6. 8.

Nisi me iucunda familiaritas, quae mihi cum auctore harum epistolarum intercedit, (est vero is Vir Cl. *Schirachius*, bonarum litterarum in hac Academia Doctor egregius,) nisi cognitum quotidiano vsu ingenium viri eruditi et multa consuetudine perspecta doctrina eiusdem copiosa atque amoena, ad eas legendas pellexisset, ipsa tamen ratio, quam Vir Cl. sequitur, animum inuitare poterat. Namque in iis nomen suum profitetur, quos cum illo, qui sapien-

sapientissimus Graecorum ab oraculo iudicatus erat, Philosopho, se *nihil scire* palam fateri haud poenitet. Quae quidem ratio pluribus si placeret, minus foret clamoris litiumque, sed, nisi me omnia fallunt, plus verae sapientiae, cuius cum inani atque incautos oculos fallente specie mortalium plerique contenti sint, quid mirum est, plerosque se omnia scire, profiteri, atque a paucissimis aureum illud *ουκ οἶδα* vsurpari?

Iam historiae quoque antiquae varia esse capita amicus noster dicit, quae quam vera sint, se nescire. (*Ep. I.*) Antiquam inprimis Romani populi historiam eam esse, cuius fidem praestare nolit. Heroas Romanos omnium aliorum populorum et temporum heroas longe superare, immo hominis prope magnitudinem excedere: nil simile vnquam ab aliis factum esse. Quomodo, quaerit, hoc accidit? Libertas libertatisque amor in Graecia regnauit nec tamen simile quidquam protulit. Multum valuit totius vitae ratio. Cur vero haec non semper eadem facta efferre potuit? cur certis tantum temporibus illa, quae admiramur, peperit? Habet Graecia viros fortes: habet viros supra vulgaria

mortalium ingenia factis animisue elatos. Sed nunquam non homo apparet. Viri Graecorum fortes auis suis maioribusque, quales Homerus describit, similes sunt. Apud Romanos haec longe alia sunt. Quid igitur causae esse dicamus huius diuersitatis? Nempe primorum Italiae post Troiam euersam incolarum historia plena est fabulis incredibilibus factisque mirabilibus. Haec est sors omnium nationum. Si ad regum tempora progredimur, tum veritas apparet, nec quidquam legimus, quod non credibile sit. Tarquinio vero expulso etiam veritas ex historia Romana exulat. Noua imperii forma hanc mutationem peperit. Populus contineri debebat, nec poterat melius, quam superstitione, quam persuasione iniecta animis de deorum fauore et auxilio. Immo Patricii populo sui admirationem reuerentiamque vt infigerent opus erat. Quo hoc poterant modo melius efficere, quam si Iouis et Martis fauorem luculentis signis demonstratum esse plebi persuaderent? (*Ep. II.*) Ad ea vero, quae se nescire quam vera sint, Auctor profitetur, facta, primum refert Mutii Scaeuolae facinus. Quam diuersus est

Mutiusq; quem Dionysius Halicarnassens describit a Mucio, quem Liuius pingit! *quantum hic mutatus ab illo!* Cloeliae facinus, si Dionysium sequimur, parum admirabile est: si Liuium, immensum. Horatii Coclitis audaciam, si rem recte consideres, non tanta admiratione prosequemur, quanta Liuius: qui suo seculo inseruiit. (*Ep. III.*) *Animalium* fides merito, ait, laborat: hos fuisse fontes tot mirabilium de deorum auxiliis narrationum. Nec esse tamen multas res, quae commemorentur, incredibiles. Superstitione fortitudinem inflammatam plurimasque victorias reportatas fuisse. Sacerdotes plerisque antiquis populis imperasse: sacerdotibus etiam plurimas victorias deberi. Nullam esse meliorem historiae Romanae examinandae rationem, quam si singuli auctores qua fide digni sint, accurate quaeramus. Ipse Vir Cl. in Dione Cassio periculum facit. (*Ep. IV - X.*) Hunc enim non putat inter praecipuos antiquae historiae auctores referendum, nec tantum eidem tribuendum esse, quantum multi tribuant. Non solum, quae Dionem, vt ipse fatetur, ad scribendam historiam impulit, famae cupi-

ditatem multis vitiis occasionem dedisse, sed aulae quoque adulatorem, Dionem fuisse: cui vt placeret quaedam antiquiora falso retulisse, suaeque aetatis res e senatus, qui tum erat, sententia narrasse: parum in eo fuisse iudicii, plurimum superstitionis, partium studium luculentum, infelicem aliorum imitationem: qua abreptum illum longas, non necessarias et inepto loco positas orationes suo operi intexuisse. Quae quidem crimina exemplis confirmare nititur Vir Cl. argumentisque claris, vnde inprimis credulitas illius apparet et ridicula superstitio. Nec quasi rumore cognita tot miracula Dionem narrare, sed ipsum iis fidem addicere suam. Nec illum scire, quid narrare debeat, quid memoria dignum sit: nullum habere rerum delectum. Magis etiam displicere partium studium. Ciceroni et Senecae eum iniuriam facere. Non vero, id quod ingeniose ostendit Vir Cl. vt ab Imperatoribus gratiam iniret, veteris reipublicae ornamenta vituperauit. Non suae aetatis Imperatoribus fauit, inimicus potius fuit omnibus, vnum si Macrinum exceperis, a quo beneficiis ornatus fuit. Res sic se habet. Fauore

Impe-

Imperatorum Dionis maiores Romam inuitati fuerant: pater senatoria dignitate decoratus. Liberae reipublicae temporibus Nicaeensis ciuis filius non poterat Consulatum sperare. Libertas amissa fortunam Dionis iuuit: hinc libertatis defensores odit. Vt Seueri gratiam colligeret, Commodum, tanquam saeuissimum tyrannum pinxit. Ecce vero, Seuerus a senatu offensus, senatum durius tractat! tum Dio durum Seueri imperium pingit. Inde Vir Cl. omnia, quae de Seuero Dio memoriae prodidit, acute examinat. Fuisse quidem illum vehementem, asperum atque duriorem: sed immerito tanquam tyrannum saeuum a Dione exhiberi. Quare quae bene, prudenter, fortiter fecit Seuerus, Noster commemorat, atque inprimis, quam parum veritati libauerit Dio, inprimis iis ostendit, quae de Albino ab illo dicuntur et Perennio. Multum vero tribuit Noster Herodiano, quem veritatis studiosum atque a partium studiis alienum fuisse arbitratur. Quibus dictis summatim vniuersimque de Septimio Seuero agit, atque libere, casui saepius magisque et fortunae, quam virtuti principes plerosque nominis celebri-

 tatem

tatem fatetur. Quam sine causa Constantinus, Theodosius et Carolus *magni* appellati sint, breuiter quidem, at grauibus verbis ostendit. Nec tamen Dionem omnino dimittit. Alia in epistola (*Ep. XI.*) ridiculum Photii de illo Dione iudicium refutat et iure irridet hominem, sublime dicendi genus et felicem Thucydidis imitationem Dioni tribuentem.

Transit in sequenti epistola (*Ep. XII.*) ad grauem quaestionem, de causis extincti Romani imperii. Tribuit omnino aliquid sedi imperii Constantinopolin translatae: tribuit diuiso imperio: sed primariam, deuastati euersique imperii caussam a sacerdotibus arcessit. Hi se immiscere publicis negotiis: Imperatores iis morem gerere, et sacerdotum potentiae cedere: hinc altera non Christianorum pars imperatorem contemnere, odio habere: Christiani ipsi se inuicem vexare; immo cum plures existerent Christianorum factiones, de verbis saepe et formulis acriter disputantes et ad internecionem, vnique prae reliquis Imperator quisque faueret, ceterae inde inimicitiam atrocem et odium acerbum aduersus Imperatorem concipere,

hinc

hinc turbae, inimicitiae clandestinae, odia perpetua: hinc disputationes sacerdotum eo tempore, quo hostibus resistere debebant, Imperatores stolide audiebant.

Quae sequitur epistola (*Ep. XIII.*) non minus placet. Voltarii sententiae quaedam in libro, quem de Philosophia historiae scripsit, propositae examinantur. Improbat praesertim Vir Cl. odium, quod aduersus Iudaeos vbique ostendit, et amaros, quibus infelicem populum perstringit, iocos. Reliqua pertinent ad Iosephum, cui nullam fidem Voltarius habendam esse dicit. Noster vero aequius iudicat, atque licet Iosephum fateatur fauere populo suo, honorificentius tamen de eo iudicandum esse addit.

Epistola (*XIV.*) spectat ad Martinum Polonum, cuius cum editiones inter se multum discrepent, Vir Cl. codicem membranaceum examinauit, qui longe auctior est reliquis editionibus.

In alia epistola (*Ep. XV.*) quaerit, cur nullo opere vniuersi orbis historiam veteres complexi sint? Nam Trogum et Diodorum eiusmodi opus non perfecisse putat. Non vero ab hoc

historiae scribendae genere abstinuisse veteres ideo existimat, quia contemserint illud atque eodem loco numeroque habuerint, quo habuerunt Philosophiae compendia, quae est Cl. *Ernesti* opinio, sed alias ob caussas. Primum non necessariam iudicabant eiusmodi historiam veteres, non vtilem. Quisque populus suas res gestas maximi aestimabat, aliena contemnebat, aliorum originibus et antiquitati fidem negabat. Iudaeis humaniores erant Graeci. Sed quis Graecorum opus aggredi poterat, quo suae patriae antiquitas dubia reddi, quo fastus hominum offendi videbatur? Romani ad historiam serio accedebant, magisque deinde domestica, quam peregrina sibi illustranda esse arbitrabantur. Nec fieri poterat, vt tale opus ab antiquis perficeretur. Nondum illud vinculum, quod omnes nationes quasi continet, apparet: non aderat, quorum testimoniis vteretur historicus, copia auctorum. Denique non honorificum erat scriptori tale opus. Sola e patriae historia gloriam laudemque sperare poterat.

Sub finem libelli breuiter quaedam Vir Cl. monet, contra eos, qui Gotho-

rum,

rum ingenia moresque vbique vituperant, iisque certe non meliores fuisse ait reliquos, qui tum se vere et recte de omnibus sentire putarent.

Ingeniose profecto hae epistolae scriptae sunt: acumen spirant admirabile: doctrinam praeferunt non vulgarem. Maxime vero placet illa in sententiis quibusdam contra vulgares hominum opiniones libere dicendis animi virtus, qua dum pollere amicum nostrum scimus, non adhortari illum desinemus, vt plures epistolas edere pergat. Nam bene de hominum genere meretur, qui quibus commaculata est, omnium populorum historia, fabulas reiiciat, rectiusque de quam plurimis rebus iudicare homines iubeat. Inueniet profecto Vir Optimus vbique largissimam mendaciorum segetem, quae a superstitione, animi malitia, stupore et inscitia seminibus iactis adoleuit, resecandam illam et proculcandam.

Materiae tanta abundat copia
Labori faber vt desit, non fabro labor.

VII.

VII.

ΕΥΡΙΠΙΔΟΥ ΙΠΠΟΛΥΤΟΣ. Euripidis Tragoedia, Hippolytus, quam Latino carmine conuersam a Georgio Ratallero adnotationibus instruxit Ludov. Casp. Valckenaer.

Lugd. Batav. ap. Io. Luzac et Io. le Mair, 1768. Alph. 2. 4.

Ludov. Casp. Valckenari Diatribe in Euripidis perditorum dramatum reliquias.

Lugd. Batav. ap. Io. Luzac. et Io. le Mair, 1767. Alph. 1. pl. 16. 4.

Qui Phoenissas Euripideas, doctissimis commentariis ante complures annos a *Valckenario* explicitas cognouerit, ille, quid quantumque de his, quorum titulos posuimus, libris sibi polliceri possit debeatque, facile iudicabit. Dignus profecto hic Hippolytus est, qui illustre tot praeclare factis exterisque etiam ob virtutem, ob generosae mentis indolem, ob propriam magnarum animarum humanitatem, venerabile nomen *Comitum de Bentinck* in fronte gerat:

rat: dignum ipſum opus reliqua viri eruditi fama. Coecus ſit oportet aut omnino expers omnis doctrinae, qui non laudet efflorescentem vbique antiquae eruditionis vberrimam amoenissimamque ſegetem: parum recte iudicet de his litteris; neceſſe eſt, qui non omnibus, qui caſte et vere φιλολογεῖν cupiant aut veteres ſcriptores interpretandi optimam rationem, iuſta linguarum ſcientia munitam, diſcere, velint, *Valkenarii* exemplum commendet, atque ne hanc Euripideam tragoediam de manibus deponant, dum totam cognouerint, iisdem ſerio ſuadeat.

Breuiter quid egerit, quid ſpectauerit Vir Cl. recenſeamus.

Nulla Euripidearum tragoediarum accuratius cum libris antiquis comparata eſt, Hippolyto, vt Vir Cl. fatetur. Dedit ante complures annos *Sam. Margravius* Oxoniae Hippolyti editionem, e Pariſinis codicibus emendatam; quae quidem editio multum Noſtro profuit, cui etiam duo alii codices, Florentinus alter, ab Iſ. Voſſio examinatus, alter Pariſinus, non paucas lectiones obtulerunt. Praeterea diligenter inſpexit veteres ſcriptores iis in locis, vbi verſus

Euri-

Euripidis laudant. Nam licet molesta haec sit via lectionis verae eruendae, est tamen eadem non immerito a viris doctis commendata. Criticis, qui hoc modo feliciter interdum veram auctoris scripturam indagauerunt.

Nemo autem plures ex Hippolyto versus repetiit auctore Tragoediae, quae *Christus patiens* inscribitur, Gregorioque Nazianzeno vulgo tribuitur. Nihil enim homo egit aliud, quam vt inepto studio centonem ex Euripidis aliorumque versibus consarcinaret, atque argumentum, egregie ab Hugone Grotio tractatum, pessimis versibus explicaret. Miserrimi huius poetae ineptias libere notauit Vir Cl. immo ne Gregorio quidem illud recte tribui sibi persuadere passus est. „Ne de metro, inquit p. 11. praef. „centenis vicibus violato dicam, tot in„sunt absurda huic centoni, vt Nazianze„nus Gregorius mihi quidem indignissi„mus videatur contumelia, qua monstro„si foetus pater huc vsque fuit a doctis „hominibus habitus. Legat mihi quis „carmina praesertim magni Theologi; „nullum inter illa reperietur, quod ex „aliorum versibus confluxerit: multa „quidem insunt orationibus Gregorii; „illis

„illis etiam, quibus in Iulianum debacchatur, ob quae, praeter ceteros, eximie videri possit Theologi nomen commeritus; sed nihil his ceterisue inesse opinor, quod ad illam cogitandi scribendique possit infantiam aequiparari, quae nulli minus aetati congruit, quam Imperatoris Iuliani." Interim ipse, quisquis fuerit, istius hominis ineptus conatus non inutilis est. Codicibus enim, qui supersunt, Euripidis ille antiquior, egregias saepe lectiones offert. Sic aurum e luto colligere licuit.

Hanc lectionis varietatem subiunxit Vir Cl. Graecis versibus, nullo indicio addito, (nam in commentariis de his copiose egit) e regione posita Latina versione, a *Georgio Ratallero confecta.* Ipse Vir Cl. eam non omnibus numeris perfectam esse fatetur, lapsum inprimis Ratallerum esse ideo, quia vitioso Aldi exemplo vsus sit. Meritis autem laudibus viri doctrinam Noster celebrat, quae eo pluris fieri debet, quo rarius in eiusdem fortunae hominibus eadem virtutis praestantia obseruatur. Erat enim Ratallerus supremae apud Traiectinos curiae praeses. Et placet ingenua,

nua, quam Vir Cl. addit, adhortatio: „Si quis autem aliquando in his corrigendis se exercere voluerit, is velim „gratus meminerit meritorum clarissimi senatoris et quam longe remoti „sint huius aetatis mores ab istorum temporum ratione, quibus senatus Traie„ctini Praeses Graecas Euripidis tragoe„dias carmine Latino posteris interpre„tabatur et praeses Parisini senatus, Ni„colaus Sudorius, sublimem Pindari „magnificentiam numeris expressit Ho„ratianis: quem opus nemini tentatum „felicissime perfecisse vere iudicabat, „Scaeuola Sammarthanus. Dum suus „litteris constabit honos, posteritatis „laude crescentes et N. Sudorius et G. „Katallerius propter ista quoque merita „viuent, atque a litteratis hominibus „celebrabuntur, dum homines obscuri, „quos habuere collegas et irrisores ma„lignos, suis tenebris iacent inuoluti„. Sed praeterierunt illa tempora, nec credibile est, reditura esse ea, quibus Thuano, Grotio, Spanhemio aliisque magnis viris Graecarum et Latinarum litterarum scientia decori fuit. Interim fruuntur illorum animae posteritatis laude, quam nullorum titulorum splendor

nulla

nulla honorum insignia hominibus conciliare possunt. Eodem, quo corpora, tumulo obruuntur; solius ingenii monimenta aut alia egregie facta post mortem viuunt.

Commentarios subiunxit Vir Cl. Hippolyto luculentissimos (inde a. p. 159.) In his de lectionum varietate docte disputat, sententias poetae illustrat, dicendi formulas rariores explicat, interdum latius exspatiatur atque ad alios auctores diuertit. Vbique virum deprehendimus, qui diu in his litteris versatus est, diurna nocturnaque manu veteres auctores euoluit, omnisque antiquae doctrinae copiam e scriptoribus Graecis et Latinis recte intellectis hauriendam esse inde a prima aetate sibi persuasit. Atque etiam multorum annorum opus esse hunc commentarium facile patet: diuturnae illum lectionis fructum esse apparet.

Non minore laude digna est *Diatribe*, qua et Philosophiam Euripidis illustrat, et illius reliquias Vir Cl. emendat. Nam cum Euripides illud egerit, vt humanitatis virtutisque amorem lectoribus inspiraret et de moribus egre-

gie praeciperet, factum est, vt frequenter alii scriptores his sententiis vterentur, suisque libris, tanquam ornamenta praeclara, inspergerent. Hinc multi Euripidis versus seruati fuerunt, tragoediis ipsis amissis. Qui has perditarum Tragoediarum reliquias inprimis studiose colligere debebat, Ios. Barnesius admodum negligenter hoc munere functus est, homini, nescio cui, hac cura demandata, qui e Stobaeo ea descripsit, quae Hug. Grotii, non quae Euripidis essent. Est vero hoc colligendorum fragmentorum negotium perdifficile, tentatum tamen a viris doctis tentandumque a pluribus Graecarum litterarum studio deditis. Latinis Musis ea felicitas obtigit, vt Hier. Columna, Franc. Dousa, Ios. Scaliger, Ian. Rutgersius, Petrus Scriuerius, alii, poetarum aliorumque scriptorum fragmenta componerent. Bentleius quoque consilium ceperat, fragmenta omnium poetarum Graecorum cum emendationibus et notis edendi. Verum non perfecit illud, licet summam sitim excitauerit merito fragmentorum Callimachiorum collectio, qua vere Vir Cl. iudicat „nihil p. 4
„in hoc genere praestantius prodiisse

„aut

„multo magis elaboratum „. Bentleii laudem in Lysiacis colligendis imitatus est Io. Taylorus, cuius rebus humanis nuper erepti diligentiam feliciter aemulatur Cl. *Valkenarius*, Euripideis fragmentis studiose collectis, acute emendatis, docte illustratis maximas gratias promeritus.

Capita habet haec Diatribe XXV, quorum argumenta breuiter indicabimus. I. de fragmentis perditorum Euripidis dramatum, II. de numero perditorum Euripidis dramatum, III. Chrysippi, dramatis, fragmenta. IV. In Euripidis Anaxagorea quaedam. Nam quod dicunt, Euripidem Anaxagoram Clazomenium secutum esse, id ostendit variis locis atque exemplis Vir Cl. V. VI. his capitibus explicatur insignis Euripidis locus ex Chrysippo, dramate, depromtus, de deo vno, huius vniuersi conditore, rerumque creatarum duobus principiis.

Γαῖα μεγίστη καὶ Διὸς αἰθὴρ
ὁ μὲν ἀνθρώπων καὶ θεῶν γενέτωρ κ.λ.

VII. VIII. in fragmenta dramatis, Antiopes. Vsus est Vir Cl. nondum edito

 com-

commentario Olympiodori in Georgiam Platonis. IX. X. de Rheso dramate. Non putat Euripidem auctorem illius esse: multo vero minus Sophoclem, cuius ab ingenio castigatissimo tota fabulae descriptio abhorret. XI. Prologus Philoctetae exhibetur. XII. Holoboli Rhetoris scholia in aram Dosiadae, ex Vossiano bibliothecae Lugdunensis codice descripta. XIII. In Euripidis Meleagri fragmenta. XIV. In fragmenta variorum dramatum. XV. de Amore eiusque patre: cui iucundae disputationi fragmentum Antigones occasionem dedit. XVI. In fragmenta variorum dramatum. XVII. In Inonis tragoediae reliquias. XVIII. In duorum dramatum fragmenta. XIX. In octo dramatum reliquias. XX. In quatuor tragoediarum fragmenta. XXI. XXII. In incertarum Euripidis tragoediarum fragmenta. XXIII. de eloquentiae abusu in Attica republica. Nam vt multa ciuitatis vitia modeste notauit Euripides, sic reprehendit quoque bonis ciuibus et ciuitati perniciosum eloquentiae studium. XXIV. De Phoenicis Euripidei dramatis argumento. XXV. Corollarium criticum. Hoc capite Aeschylus, Athenae-

us,

us; Callimachus, Plutarchus, alii scriptores Graeci emendantur.

Difficile profecto fuit in tanta rerum optimarum copia mentem et animum abstinere. Ipsi tamen nobis vim inferre, quicquid est harum lautitiarum, illud omne intactum et integrum viris doctis relinquere, quam quidquam vnde decerpere maluimus. Ipsos ad has epulas accedere sitientesque Graecae suauitatis animos explere iubemus.

VIII.

LIBRORVM CENSVRAE MINORES.

I.

Dan. Wyttenbachii Epistola Critica super nonnullis locis Iuliani Imp. accedunt animaduersiones in Eunapium et Aristaenetum. Gottingae, litteris Barmeierianis, 1769. pagg. 64. 8. Nouam Iuliani editionem ingeniosus iuvenis molitur atque hunc libellum, tan-

quiam futuri operis specimen nobis prae-
dit. Indicat profecto ille egregium
Graecarum litterarum studium, exci-
tandum alendumque doctorum viro-
rum fauore. Nam pauci in ea aetate,
in qua Noster constitutus est, tot Grae-
cos scriptores cognoscunt, quot a No-
stro lectos, immo cum fructu lectos
esse, apparet. Iniit etiam rectam Iu-
liani emendandi et illustrandi viam.
Sollerter indagauit Demosthenis atque
Platonis loca, quae Imperator ante ocu-
los habuit. Nam sequioris aetatis scri-
ptores se ad veterum imitationem con-
tulisse, eorumque formulas dicendi ex-
pressisse notum est.

II. Demosthenis oratio de corona,
quam e recensione Io. Taylori, Angli,
cum eiusdem et Wolfii, Marklandi,
Palmerii, I. I. Reiskii suisque animad-
versionibus edidit Theoph. Christoph.
Harles. Altenburgi, ex offic. Richte-
ria, 1769. Alph. 1. plagg. 17. 8.
Ornant hanc editionem imprimis Reis-
kianae adnotationes frequentes, nec ra-
ro copiose illae scriptae. Instructus
enim fuit Vir Cl. qui totius Demosthe-
nis nouam editionem pollicitus est, se

datu-

daturum esse, tribus libris manu exaratis, quorum varias lectiones notauit. Et laetati sumus, minus indulsisse virum eruditum coniecturis, quae si vel ingenii specie se commendant, pleraque tamen vel non necessariae sunt, vel nimis calide excogitatae. Atque etiam speramus, fore, vt, si in Demosthenis editione eandem rationem Vir Cl. teneat, plures huic consilio faueant. Ipse vero Harlesius noster, qui de eo, quod omnes boni in viro bono laudant, litterarum antiquarum studia in Germania augendi studio nihil remittit, omnes Taylorianae editionis dotes repetiit, nouisque auxit. Nam difficilioribus locis ex historia antiquitatisque memoria lucem affudit: ad artem quoque oratoris percipiendam iuueniles animos acuit. Vno verbo, non inutilem operam praestitit scholis atque magistris scholarum. Cuius rei conscientia pluris fieri debet a Viro integerrimo aliorum nugis clamoribusque. Erit tempus, quo aequi iudices quorundam nostrae aetatis Criticorum malitiosas artes, liuorem et ignorantiam contemnent et detestabuntur. Integra manet eorum laus et fama, qui non vt nominis qua-

 lem-

lemcunque celebritatem colligant, varias machinas adhibent, sed, vt recte agant semper, operam dant.

III. De Lucani Pharsalia: auctore Io. Georg. Meusel. Halae, 1768. plagg. 9. 4. Duobus libellis optimus Meuselius causam egit Lucani, contempti a quibusdam, ab aliis immerito neglecti, a nonnullis sic laudati, vt magis noceret haec laus poetae quam prodesset. Initium vero disputationis arcessit amicus noster ab historia litis, inde ad nostram aetatem deducta, variorum opinionibus recensitis illarumque caussis explicitis. Qua in re longe superauit Bailletum, non sat acutum ingeniorum arbitrum ideoque eorum etiam sententiis vsum, quorum aut nulla aut certe exigua est hoc in negotio auctoritas. Quorum in recensu dum Burmanni sententias examinat, coniecturam proponit Pharsaliae initio illisque versibus:

Iam nihil, o superi, querimus: scelera
ipsa nefasque
Hac mercede placent, etc.

Neronis furorem acerba irrisione poetam perstrinxisse existimat. Lucaneis enim

enim versibus hunc sensum tribuit:
„Venio ad rem ipsam: numine mihi
„opus est: quali vero? Apollo et Bac-
„chus quiescant: tu, Nero, quem ipse
„iam deum feci et consecraui, (aut po-
„tius qui ipse te viuum iam diis adscri-
„psisti) satis es, ad bellum ciuile di-
„gne canendum, quia furor et tyrannis
„tua ita meum spiritum incitabunt, vt
„furorem, iniquitatem et tyrannidem
„Caesaris libertatis oppressoris, colori-
„bus sat viuidis pingere possim„.
Nam quod quidam dicunt, adulatorem
turpissimum hic agere Lucanum, non
ait probabile esse, Lucanum, familiae
Caesareae inimicum, a qua oriundus
erat Nero, atrocissimum, virumque li-
bertatis priscae appetentissimum, tam
abiecto et turpi animo fuisse, vt serio
ista de Nerone diceret; non credibile
videri, Lucanum, qui coniurationem
contra Neronem inierit, adeoque inter
principes coniuratorum fuerit, tyranno
saeuissimo tam seruiliter muliebriterue
blandiri adulariue potuisse. Immo ipsam
Deam Libertatem Lucanum afflasse at-
que ad Pharsaliam scribendam appulisse
arbitratur. Non vero esse hoc carmen
ad Epici carminis Homerici aut Virgi-

liani exemplum examinandum: posse Lucanum historicum poetam appellari. Operis ambitum, dispositionem, ordinem longissime recedere ab arte consilioque Homerico: sed orationis robur, soni grauitatem, cantum poetae grandiorem et sublimiorem, nisi in toto carmine, tamen in plurimis eius partibus conspicuum, proxime ad spiritum heroicum accedere: „Lucanus, inquit, „historiam belli ciuilis a Caesare et Pom„peio maxime gesti ab eius origine vs„que ad exitum, incorruptorum testium „fide innixus, ita exposuit, vt non so„lum versu, sed etiam aliis ornamen„tis poeticis, descriptionibus, senten„tiis, comparationibus, fictionibus, „verbisque a sermone pedestri alienis, „Pharsaliam a mera historia, a carmi„ne epico et dogmatico quam maxime „distingueret„. Quod vt planius fiat, eundo per partes, poetici ingenii luculentissima specimina adfert, quibus carminis laus continetur. Immo comparatione instituta inter Virgilium atque Lucanum sic pronunciat. „In senten„tiis et figuris maior mihi videtur Lu„canus, in orationis et verborum vsu „atque dilectu Virgilius. Nam in sen-

„ten-

„tentils et figuris efferendis Lucanus
„non solum sublimior, plenior et gran-
„dior incedit Virgilio, plurimis certe
„in locis: sed maiorem etiam felicio-
„remque inueniendi et cogitandi vim
„in hoc ingenii artisque negotio exse-
„ruit. Quicquid enim Virgilius prae-
„clari et superbi habet in descriptioni-
„bus, comparationibus, alioque sen-
„tentiarum rerumque ornatu, id omne
„fere ab Homero, vt vel pueri norunt,
„mutuatus est, rarissimeque ipse ad no-
„bilem maiestatem et audacem figura-
„rum impetum ardoremue adspirauit.
„Virgilium tamen toto orationis habi-
„tu, elegantia, cultu sermonis simpli-
„ci et naturali, amoenissima verborum
„collocatione, numeris aptioribus sua-
„uiusque cadentibus membrisque iuste
„modificatis anteponendum esse Luca-
„no multis exemplis patet. Quocirca
„Aeneis semper maiore cum voluptate
„et auiditate ab omnibus litterarum man-
„suetiorum cultoribus lecta est, et in
„posterum hunc honorem semper sibi
„vindicabit. Suadendum quoque omni-
„no est hanc ob caussam iuuentutis do-
„ctoribus, vt Virgilii carmina prius
„discentibus suis praelegant et explicent,
„quam

„quam Lucani Pharsaliam aliorumque
„poetarum aequalium carmina. Virgi-
„lii enim ingenium amabile, et perfe-
„cta eius canendi ratio limet et poliat
„ante necesse est puerorum sensus, quam
„carminibus minus elegantibus et ve-
„nustis assuefiant. Pharsaliae lectio
„tum demum a Musarum alumnis in-
„stituatur, si ingenium et iudicandi vis
„Virgilii, aliorumque poetarum castio-
„rum lectione satis confirmata et adul-
„ta apparebit, si cantum tubae clario-
„ris magisque sonorae aures eorum si-
„ne horrore lubenterque percipere ac
„ferre poterunt„. Neque tamen vi-
tia Lucani ingeniosissimus Auctor silen-
tio praeteriit. Luxuriare illum inter-
dum ingenioque nimis indulgere fate-
tur: eruditionis opes inepto loco effun-
dere, declamatoris personam sibi im-
ponere, sententiis non apte vti, vanam lo-
quacitatem amare. Nam illud poetae:

nil fuit vnquam
Sic impar sibi

optime in Lucanum conuenire ait. „Fa-
„cere non possum, inquit, quin Luca-
„num et laudem et vituperem, quin
„eum amem, simulque ei indigner.
„Mul-

„Multa habet bona, mediocria et vitio-
„sa aeque multa: limatus est atque ru-
„dis: venustus et deformis: ingeniosus
„et obtusus; sublimis atque humilis;
„horridus et nitidus; incultus et laetus:
„ieiunus et plenus. Modo videmus
„eum magna cum admiratione humo
„se tollentem, labentem modo turpi-
„ter. Modo paruus videtur, modo
„sentitur ingens: Modo eius oratio ae-
„quabiliter, pure fluit et leniter, tan-
„quam flumen pellucidum: modo ruit
„et fertur, vt torrens turbidus, prae-
„rupto decurrens monte,

Sternit agros, sternit sata laeta boum-
que labores,
Praecipitesque trahit siluas.

„Modo, quid? quod saepius figuris et
„metaphoris non tam exornat, quam
„potius obruit opus suum: modo com-
„muni vtitur et iusta dicendi ratione,
„suauissimeque animum nostrum aures-
„que permulcet. Saepe captat argutias
„sententiasque spinosas: mox eum in
„rectam redeuntem viam resque grauis-
„simas summo cum decore et maiesta-
„te, vulgaria aequo carmine canentem,
„lubenter conspicimus. Quid multa?
„Pharsaliam verissime nominauerim ta-
„bulam

„ bulam immensae magnitudinis, quam
„ artifex aptissimus lineis manu auda-
„ cissima descripsit, cui hinc inde colo-
„ res varios induxit, atque nonnulla po-
„ litissima arte perfecit, quam vero, ope-
„ ri nimis mature immortuus, imper-
„ fectam ac rudem reliquit; vbi nos ar-
„ tem quidem felicem admiramur; vbi
„ dispersae apparent veneres, vbi amicus
„ deest colorum concentus, vbi desidera-
„ mus iustam vmbrae et luminis dispositio-
„ nem, vbi videmus, quid artifex efficere
„ potuisset, vbi dolemus, mortis acerbita-
„ te illum fuisse impeditum, quo minus
„ loca inania explere naeuosque abserge-
„ re posset. Equidem facile credide-
„ rim, Lucanum lima mordacissima
„ opus immortale politurum et ad per-
„ fectionem quandam perducturum fuis-
„ se, nisi dura fati necessitas manum il-
„ lius abstraxisset.
„ *Emendaturus, si licuisset, erat* „.

Haec aliaque his similia amabilissimus, non solum ob ingenii amoenitatem et eruditionis multiplicem praestantiam, sed ob pectoris quoque candorem, fidem, ingenuam indolem, suauitatem naturae, *Meuselius* in his libellis exposuit; etiam hoc suae doctrinae specimi-

ne

ne testificatus, quam prudenter de eo iudicauerint Moguntinae aulae proceres, quorum suffragiis nouis Erfordinae Academiae doctoribus additus est *Meuselius*, cuius quotidianam consuetudinem dum mihi ereptam esse cogito, rei omnium iucundissimae iacturam me fecisse non sine dolore sentio.

IV. Alberti Ludouici Friderici Meisteri, in alma Georgia Augusta Philos. Professoris, de Catapulta Polybola Commentatio: qua locus Philonis Mechanici in libro IV. de telorum constructione exstans illustratur, in consessu Regiae scientiarum Societatis recitata d. IX. April. 1768. Gottingae, sumt. Vict. Bossigelii, plagg. 8. 4. cum quatuor tab. aeneis. „Ex quo, in„quit Vir Cl. nitrati pulueris vis ingens „et indomita ad vsus bellicos traduci et „praecipue missilibus in hostem vibran„dis adhiberi coepit, veterum tormen„ta, effectu quidem et strage, quam „edebant, nostris mitiora, ceterum pa„rabiliora nec artificio inferiora, ita „sensim obsolescebant et spernebantur, „vt ex stationibus suis deturbata vix hae„rerent aliquamdiu in armamentariis.

„Sed

„Sed et his ipsis, quorum otio illa ce-
„lebritas obtigerat, vetustate collapsis,
„ipsa rei memoria intercidisset, nisi
„Balistarum, Manganorum, Catapul-
„tarum, Scorpionum, Onagrorum in
„veterum scriptis toties facta mentio,
„relata atrox vehementia, structura ipsa,
„licet a rei peritis quique catapulticas
„rationes luculenter exponere velle prae
„se ferrent, verbis obscuris, mutilatis,
„funium catapulticorum more contor-
„tis, non tam explicata, quam inuolu-
„ta, eruditorum post renatas litteras stu-
„dium et diligentiam inuitasset„. Inde narrare pergit Vitruuium, Ammianum, alios in subsidium vocatos fuisse ab iis, qui veterum machinarum rationem aut ipsi intelligere cuperent aut aliis explicare. Sed, si a mathematicis Graecis atque mechanicis recesseris, parum conferre reliquos scriptores ad declarandam fabricam ipsam tormentorum. Hinc rem non bene successisse Iusto Lipsio: turpius lapsum fuisse Claudium Perraltum. Vitruuio ab Herone inprimis et Philone summam lucem accessisse: sed hos ipsos, quorum ope Vitruuium intelligamus, nouis subsidiis indigere, quorum ope ipsi quoque intelligan-

gantur. „Complura, ait, eorum loca „a Latinis interpretibus perperam ex„pressa, alia ita reddita sunt, vt appa„reat, interpretes magis ad significa„tum singulorum vocabulorum, quam „ad orationis ipsius sensum cohaeren„tem respexisse. Laudabili profecto „consilio: vt, quae loca non satis in„telligere sibi videbantur, ita quoque „exprimerent, vt non intellecta fuisse „appareret. Verum non latina tantum „sed et Graeca ipsa infinitis locis vacil„lant. Notarum inprimis numeralium, „particularum sermonis illis affinium, „et litterarum ad icones referendarum „perpetua occurrit confusio: pars quo„que excidit aut sedem mutauit. Ico„nes ipsae pleraeque nullius pretii, non„nullae ridiculae et fortuito adiectae. „Litterae demonstratiuae illis adscriben„dae in textu ita confusae et toties re„petitae, vt nescias, quae eidem, quae „diuersis iconibus respondeant. Acce„dunt ad haec reliqua, quae litteratos „interpretes a machinarum descriptioni„bus vel deterrere, vel ita illis expli„candis frustra fatigare solent, eo quod „Architecti magis ingenium quam Grammatici eruditionem requirunt„.

 Prae-

Praeclaro vero specimine Vir Cl. rei veterum tormentariae explicandae rationem ostendit, periculo facto in catapulta multiiacula, quam Philo in superstite operis sui quarto libro de telorum constructione inter caetera descripsit. Praemisit vero huic explicationi disputationem *de veterum machinis balisticis in genere*, vbi varia apud veteres tormentorum genera recensuit atque in ordinem redegit certiorem. In nominibus quae tormentorum genera sortita sunt, teli, quod euibrabant, genus, teli magnitudinem, ipsum eiaculandi modum, vires mouentes vel ad motum concurrentes, apparatuum modulum et praecipuum vsum, formam et qualemcunque aliarum rerum similitudinem, peculiare aliquod machinae compendium vel artificium considerari debere monet. Quod dum ipse Auctor fecit, egregie multa explicuit. Tum ipsam Polybolae structuram Philonis verbis exponit, redactis in ordinem, quae minus sincera, vel minus apte ab interprete reddita viderentur, vberius expositis, quae parce nimis et negligenter descripta, atque a reliquis mechanicis repetitis depromtisque illis, quae ad accuratam ma-

chinae

chinae ſtructuram pertinent, a Philone autem, tanquam nota, omiſſa ſunt: commemoratis etiam iis, quae Polybolo cum vulgaribus veterum Catapultis communia ſunt.

V. Emendationes in Suidam, in quibus plurima loca veterum Graecorum, Sophoclis et Ariſtophanis inprimis, cum explicantur, tum emaculantur. *Pars tertia.* Scripſit *Io. Toupius.* A. M. Londini, 1767. ap. Nourſium, pagg. 344. 8. Laudauimus iam alio tempore (nam priora operis volumina tum recenſuimus) (*) acumen viri doctiſſimi, atque egregiam ſermonis Graeci ſcientiam. Placuit inprimis illud, quod feliciter inueniſſe virum doctum obſervabamus loca veterum ſcriptorum, ad quae Suidas reſpexit. qua in re fortuna quaedam regnat, memoriaeque fidae, promptae nec vnquam moroſae vis ſe exerit. Hac quoque in parte idem animaduertimus. Sed quod tum quoque profeſſi ſumus, non probari nobis calidiora viri acuti conſilia, idem etiam nunc repetimus. Nimis ſuo ingenio

(*) v. haec Act. Vol. I. p. 397.

Vir Cl. fauet. Monuimus olim, in iis verbis Paulli in Ep. I. ad Corinth. XI. 10. διὰ τῦτο ὀφείλει ἡ γυνὴ ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς διὰ τὺς ἀγγέλους, virum doctum illud ἐξουσίαν mutare in ἐξιοῦσα. Iam longius progressus est, atque pro διὰ τοὺς ἀγγέλους scribendum esse coniicit: διὰ τοὺς ὄχλους. Nec parum huic coniecturae tribuit: addit enim: *Equidem nullus dubito, quin Paulus scripserit.* Cui vero persuadebit Vir Cl. licere Criticis, tanta audacia aduersus scriptores antiquos grassari? In errorem inductus nobis esse videtur eo, quod Noui Testamenti orationem ad Atticorum scriptorum elegantiam exegit. Hinc non potuit non multa mutare, quae, licet parum venusta sint, parum Graeca, vera tamen sunt, nec vllo modo mouenda loca. Interim ea ipsa audaciae exempla ingenii eximiam aciem ostendunt. Ibi quoque, vbi a Cl. *Toupio* dissentire iure nobis videmur, acumen viri admirati sumus. Vbique vero admirabilem Graecae linguae cognitionem in Viro doctissimo esse, nec eum heri demum aut nudius tertius cum Graecis scriptoribus familiaritatem contraxisse animaduertimus.

VI.

VI. Michaelis Conradi Curtii, Prof. histor. et eloqu. in Academ. Marburg. Commentarii de Senatu Romano post tempora reipublicae liberae. Halae, sumtibus Io. Iac. Curtii, 1768. Alph. 2. pl. 2. 8. Opus perfecit Vir Cl. non solum difficile, sed vtile quoque. Multi quidem de senatu scripserunt Romano, sed liberae reipublicae tantummodo tempora attigerunt; nemo, quod sciam, collegii olim amplissimi historiam inde ab Imperatorum aetate vsque ad nostra tempora deduxit. Hoc igitur opus aggressus est Vir Cl. non deterritus difficultate multiplici, quam scriptorum cum penuria, tum, si medii, quod dicunt, aeui historiam consideres, obscuritas et barbaries obiicit. Totum vero opus in octo libros descripsit. Primum agit de nominibus Imperatorum, de iuribus et potestate eorum, de lege Regia: tum ad dignitates magistratusque senatus Rom. ab Augusto ad Constantini M. tempora progreditur: porro de iuribus Senatui sub Imperatoribus ab Augusto vsque ad Constantinum relictis exponit: quibus explicitis dignitates et iura senatus a Constantino vsque ad Carolum M. commemorat: tum de re-

rebus geſtis ſenatus Rom. loquitur a Carolo M. ad tempora ſenatus reſtituti, a. 1144. ab hoc tempore vsque ad tribunatum Nicolai Laurentii, a. 1346. procedit, denique eandem hiſtoriam vsque ad noſtram aetatem pertexit, et, qualis hodie eſt, ſenatus Romani conditionem deſcribit, licet breuius, quam multi exſpectent fortaſſe. Ipſe etiam Vir Cl. hoc fatetur. „Ieiuna, inquit, videbitur „recentiorum temporum noſtrique aeui „hiſtoria. Neque id factum culpa mea. „Ea enim, qua decuit, Romanos eru„ditos adii obſeruantia, adminicula ro„gaui, quae doceri vellem, expoſui. „Quin Romae enim plura latitant mo„nimenta, quae lucem nondum adſpe„xerunt, non eſt dubium. quorum qui„dem copiam mihi factum iri putabam. „At ſpes iſta me fruſtrata eſt„. Magnae profecto gratiae Cl. *Curtio* debentur. Non exiguo ſtudio, vt repetam iudicium, alio tempore a me de hoc opere factum, in vnum quaſi locum congeſſit, quae huic argumento illuſtrando inſeruirent, quam plurima: diligenter excuſſit varios ſcriptores, eosque, quos, qui paullo delicatiores ſumus, non illubenter aliis relinquimus, libros cum

exa-

examinauit, tum comparauit inter se sollerter: multa, quae antea dubia essent, firmauit cum testimoniorum auctoritate, tum coniecturarum subtilitate: alia obscura et abdita in lucem protulit: omnia vero ita exposuit explicuitque, vt, aliis ex aliis annexis omnibusque inter se partibus colligatis, luculenta historiae continuatio rerumque gestarum series existeret. Quam non possumus considerare, quin ludum fortunae saeuum rerumque humanarum vicissitudines et clare animaduertamus et miremur nobiscum. Hem! quo recidit illud venerabile virorum concilium, maiestate, grauitate, et virtute plenum, quod toties de salute orbis et regum fortuna deliberauit, quod nullum regem, nullum principem parem aut superiorem habuit? quae potestatis pristinae et magnitudinis vestigia restant? quid habet nunc senatus Romanus illius, illius, cuius quoties splendorem recordamur, potestatem consideramus, res gestas legimus, nescio quomodo attollatur animus et sese grandior fiat?

IX.

ELOGIVM HERMANNI SAMVELIS REIMARI. (*)

Non equidem credo noſtro praeconio acceſſurum quidquam eſſe ad laudes, ingenii, doctrinae, virtutis praeſtantia inſigni a *Reimaro* nuper collectas. Neque enim tenuitate noſtri ſiue teſtimonii, ſiue iudicii augeri poterit *Reimariani* nominis fama atque celebritas, neque certius ab interitu vindicari tot praeclariſſimorum laborum memoria, immortalibus monimentis impreſſa et

(*) cf. Goetteni *ietztlebendes gelehrtes Europa* P. I. p. 119. et P. III. p. 748. *Nachrichten von Niederſächſiſchen berühmten Leuten und Familien* P. II. 382. et elogium inſcriptum: *Memoriae immortali Hermanni Samuelis Reimari, linguarum orientalium in Gymnaſio Hamburgenſi per XXXXI annos Profeſſoris qualecunque hoc monimentum officii et pietatis cauſa* poſuit *Io. Georg. Büſch. Matth. P. P. in Gymnaſio Hamburg. Hamb.* 1769.

et consignata. Interim nec puto displiciturum esse Manibus viri optimi, modo curet nunc mortale quidquam liquidioris maiorisque voluptatis capax anima, nostram pietatem profectam a vero *Reimariani* nominis amore et cultu. Atque etiam exteri inprimis, qui ingenium viri nuper doctissimi et eruditionem admirantur, lubenter vitam et fata illius sibi narrari patientur, cuius e scriptis insignem se fructum retulisse recordantur.

r: Pater Reimari nostri fuit Nicolaus, Scholae Iohanneae, quae Hamburgi est, magister. In eadem vrbe natus fuit Noster superiore seculo, anno XCIV. atque a patre, quem iuuentuti erudiendae prae aliis aptum fuisse fama narrat, litteris imbutus. Magistros vero inprimis habuit Io. Christoph. Wolfium et Io. Albertum Fabricium, dignum vtrumque, cui *Reimarus* discipulus contingeret. Ab his ille et antiquarum litterarum amorem haurire, et earum discendarum exempla atque praecepta petere. Et eminebant in iuuene iam tum excellentis ingenii signa, atque, vt fit, praecocis ingenii laudem *Reimarus* ferebat. Maturitas

 vero

vero accessit in Academia Ienensi, vbi Buddeum et Danzium praeceptores sibi elegit. Nam ab hoc orientis linguarum cognitionem sibi tradi volebat, in illo non poterat non Fabricii discipulo immensa plurimorum librorum notitia placere. Ienae etiam amicum et magistrum habuit Io. Matthiam Gesnerum, in cathedram ab illo deductus comesque assumtus in defendendo libello de auctore et aetate dialogi Lucianei, qui Philopatris inscribitur. Vitembergae Reimarus Magistri honores sibi comparauit: immo in hac Academia sedem et domicilium collocare constituit, ab itinere, in Belgium et Angliam facto, reuersus. Sed anno XXIII. huius seculi munus rectoris scholae Wismariensis *Reimaro* oblatum fuit. Nec displicuit conditio viro de litteris bene merendi cupidissimo. Quatuor annos huic scholae praefuit celebritatemque conciliauit fide, alacritate, et disciplina excellente. Mox vero in Patriam reuocatus fuit. Nam vt floruit Hamburgum semper egregie doctis hominibus, sic diligenter quoque ea ciuitas prouidit, ne se temere neglectos esse a patria eruditi viri queri possent. Mortuus tum erat

Georg.

Georg Eliez. Edzardi, orientis linguarum in Gymnasio doctor. Huius in locum *Reimarus* successit. Nec posthac ex vrbe, quam vehementer amauit, (nam et patria erat, et paucae sunt in Germania vrbes, vbi suauius viri docti viuant aut honorificentius habeantur) nunquam igitur ex illa discedere voluit. Nam fama *Reimari*, optimis artibus parta, non poterat non pluribus iniicere cupiditatem, inuitandi illum atque iis, quibus bene cuperent, scholis conciliandi.

Frustra igitur, mortuo Gesnero, *Reimarus* vocabatur Gottingam a magno Munchhusio, qui magnam, quam Georgia Augusta in Gesneri sui anima fecerat iacturam, hoc vno viro sarciri posse recte iudicabat. Quadraginta annos suo munere Hamburgi functus, nec, se viuum diuelli passus est a Gymnasio tam charo, quod mortuum praeceptorem non sine lacrimis sepeliuit. Obiit vero nuper a LXVIII. Kalend. Mart. natus annos LXXIII.

Floruit *Reimarus* magna laude honestatis, probitatis, humanitatis, atque harum

harum aliarumque virtutum amabili concentu omnium sibi amorem conciliauit. Laudatur inprimis illius fides et constantia in erudienda iuuentute. Toties iam Ebraicae linguae initiis traditis non inuitus tamen eadem docebat iuuenes. Quid vero aliud animum, maiorum rerum capacissimum in hac institutione erectum alacremque tenere poterat, quam illa persuasio, non quam magnifice, sed quam vtiliter res suas agat, viro bono spectandum esse? Nam nulla lucelli spes virum eruditum ad docendum allicere poterat. Eam rerum Hamburgensium conditio non praebet. Auditorum diligentia excitabatur, nec defuit vnquam iuueni, in quo praeclaram indolem aut honestum ardorem animaduerteret. Laudatur praeterea in *Reimaro* morum suauitas, comitas et facilitas eximia, quae nec laeta amicorum conuiuia respuit, nec ab iis abhorret, quae animum recreant vitaeque vsum iucundum reddunt. Etiam post obitum viri celebratur candor illius et ingenua indoles, aliena ab omni liuore et fastu, simulandi dissimulandique artibus inimica, omniumque commodis lubenter inseruiens.

Atque

Atque haec laus totius ciuitatis, quam ornauit, testimonio *Reimaro* tribuitur, Quae ingenio atque doctrina comparatur, gloria, egregiis monimentis posteritati totique, qua litteris pretium statuit, orbi commendata est. Haec illius nomen certissime ab ingratis obliuionibus vindicabunt.

Celebrant, qui *Reimaro* familiarius vsi sunt, plurimarum rerum, quae in eo fuit, scientiam. Historiarum illum aiunt peritissimum fuisse, naturalis historiae non vulgari cognitione praeditum mathemata non solum attigisse, sed penitus cognouisse, immo nec reliquas humanae sapientiae partes neglexisse. Id quod fecit *Reimarus* exemplo magnorum virorum, qui nullam eruditionis partem plane intactam relinquere voluerunt, non vt *Polyhistorum* nomen, saepe sat ineptis hominibus datum, consequerentur, sed vt delibarent ex quaque parte quod suis vsibus inseruiret, quod illi, quam prae aliis animo amplexi essent, doctrinae prodesset. Hinc etiam duxit iuuenes per humanae scientiae latifundia, et amplissimum ambitum ostendit.

Quae

Quae vero vir praestantissimus scripsit duplicis fere generis sunt (*). Nam cum ad Graecas Latinasque litte-
ras

(*) Illorum subiungemus indicem, omissis quibusdam epistolis atque elogiis, memoriae ciuium Hamburgensium dicatis, in quibus sermonis elegantia laudatur.

Oratio de felici conditione eorum, qui in Gymnasio Hamburgensi litteris operam dant. exstat in Fabricii Memoriis Hamburgens. Vol. IV. p. 34. sequ.

De differentiis vocum Hebraicarum Diss. I. II. III. IV. Vitembergae, 1717.

Dissertatio de Machiavellismo ante Machiavellum, Vitemb. 1719.

Matth. Camariotae orationes duae in Plethonem de fato, ex bibliotheca publica Lugdunensi primum editae et latine redditae. Lugduni Batau. 1721.

Plethonis libellus de fato, eiusdemque et Bessarionis epistolae amoebaeae de eodem argumento. Lugd. Bat. 1722.

Primi-

ras spectant, tum philosophiae quaedam capita illustrant. Inciderat vero prima *Reimari* aetas in ea tempora, qui-

Primitiae Wismarienses, i. e. Orationes, altera quidem ostendens, omnes homines aeque felices esse, altera vero de genio Socratis, Wismar. 1723.

Libelli aliquot minores Wismariae scripti: de Philosophiae in re scholastica usu, de decori cum Philosophia morali nexu, de natura infiniti mathematici, quatenus virtus facilis dici possit? de instinctu brutorum, existentis dei eiusdemque sapientiae indice: de certitudine ex methodo mathematica non facile speranda: et examen fabulae Mandevillianae de apibus.

De vita et scriptis Io. Alb. Fabricii commentarius, cui accedunt argumenta historico-critica ex epistolis clarorum virorum ad Fabricium. Hamb. 1737.

Dissertationes de legibus Mosaicis ante Mosen: de assessoribus synedrii magni LXX. linguarum peritis.

Cassii

quibus feruebant disputationes eorum, qui Philosophi dici haberique cuperent, quorum non pauci tum egregia fama florebant, quorum nunc nomina ignoramus; libellos obliuioni et tenebris traditos esse non inuiti videmus. Cum Ienae noster commoraretur; Buddeus

Cassii Dionis historiae Romanae quae supersunt. Hamburgi, 1750.

Die vornehmsten Wahrheiten der natürlichen Religion, in zehen Abhandlungen auf eine begreifliche Art erkläret und gerettet. Hamburg. 1754.

Die Vernunftlehre, als eine Anweisung zum richtigen Gebrauch der Vernunft in der Erkenntniß der Wahrheit aus zwoen ganz natürlichen Regeln, der Einstimmung und des Wiederspruchs hergeleitet. Hamb. 1756.

Allgemeine Betrachtungen über die Triebe der Thiere, hauptsächlich über ihre Kunsttriebe, zur Erkenntniß des Zusammenhanges, des Schöpfers und unser selbst. Hamb. 1760.

deus non sine laude ibi Philosophiam docuit. Recedebat ille a scholastica barbarie multum, atque elegantius iuuenes philosophari iubebat, licet nec ipse inter Philosophos clariores insignem locum a posteritate obtinuerit. Hunc noster diligenter audiuit, animum vero ad Wolfianam haeresin praecipue applicuit. Nam licet semper abhorruerit Noster ab exemplo Wolfii qui nec ipse rationis florem sequitur et cantilenis illis, quam mathematicam methodum appellauit, lectorem prope enecat, illius tamen sententias fere omnes amplexus fuit. Tradidit Philosophiam et ore et scriptis. vbi ratio, quam virum optimum secutum fuisse narrant, egregie placet. Nam in Philosophicis scholis non vt multi faciunt, iuuenes tanquam arbitros grauissimarum sententiarum considerauit iisque sapientiam omnem se instillaturum esse sperauit, sed acuit potius illorum animos atque praeparauit ad philosophandum, si maturior aetas accesserit, recte et probe.

 Ipse

Ipſe vero, Dione edito, animum totum ad Philoſophiam transtulit, easque ſententias libris explicuit, quas iam Wismariae agitaſſe illum apparet. Atque vſus eſt Philoſophia non vt multi ad oſtentationem, aut, quod peius eſt, ad veritatis nitorem obſcurandum hominumque animos turbandos, ſed ſic, vt diuini numinis cultum reuerentiamque lectoribus inſpiraret et verae felicitatis non ſolum ſpeciem oſtenderet verum etiam amorem excitaret. Hoc inprimis ſpectauit in illo libro, in quo futurae vitae felicitatisque ſpem ex vniuerſo rerum in hoc orbe complexu apparere docuit, atque in conſiliorum dei cum ſapientia tum benignitate explicanda elaborauit. Qui liber turpiter translatus fuit in Anglicum ſermonem a Wynnio quodam, non paucis omiſſis, immo libri titulo mutato: imitante forte homine iſtos popularium ſuorum, qui inde ab aliquot annis complures noſtrorum auctorum libros in Anglicum ſermonem ſic transtulerunt, vt gratu-

landi

laudi patriae nostrae hunc honorem caussa esset nulla. Alio in libro eam Philosophiae partem exposuit, quae iudicandi ratiocinandique praecepta complectitur, obseruata hominis virtute, omnia inter se comparandi, congruant an repugnent iudicandi, atque hinc veritatem dicendi. Denique naturae sollertem obseruatorem testantur ea, quae de brutorum indole disputauit. Qui quidem libri licet sint magna laude digni atque etiam a multis lecti laudatique fuerint, tamen quia vernaculo sermone scripti sunt, exteris praestantiam Reimarianae eruditionis minus facunde narrare videntur Latinis libris. Maxime enim nomen Reimarianum illustrasse videtur Cassii Dionis editio, quam dedit, etiam si externum operis habitum spectes, pulcherrima. Inchoauerat rem Fabricius, *Reimari*, vt diximus, praeceptor, postea socer, sed opus imperfectum reliquit. Quod *Reimarus* sic perfecit, vt omnes boni et docti interpretis partes impleret.

Quis

Quis enim non libenter assentiatur viris doctissimis, certatim illam editionem laudantibus? quis non vere iudicasse dicat Magnum Gesnerum? si hoc agere quisquam velit, vt dispiciat, quibus rebus opus sit ad formandum eum, qui Critici nomen, quia honorificum est, tueri queat, ac deinde ea ad *Reimarum* transferat, illum deprehensurum esse, paucissimos esse, quibus ea omnia vel a natura, vel a fortuna, vel suo studio contigerint, quae in *Reimaro* esse intelligamus, immo quantum decoris Cassius Dio Reimarianus ab eruditione, ingenio, diligentia editoris habeat, tantum illi quoque ornamenti ab humanitate et modestia illius accedere. Atque hoc opus vehementer hominum studia accendit, qui plura scribi edique cuperent a viro erudito. Sed abhorruit Reimarus ab eorum ratione, qui summam felicitatis partem in magno librorum a se scriptorum numero ponant. Diligenter narrant illum, quae scripserit, emendasse, nec edidisse quidquam, quod non

 diu

diu poliuerit, non limauerit etiam atque etiam.

Haec sunt, quae de vita, moribus, et doctrina *Reimari* dicenda esse existimaui. Tu, quisquis haec legeris, faue mecum nomini et memoriae viri doctissimi et optimi.



CONSPECTVS LIBRORVM

QVORVM CENSVRAE

VOLVMINIS V. PARTE III.

CONTINENTVR.

III.

ACTA LITTERARIA.

SCRIPSIT

CHRIST. ADOLPHVS KLOTZIVS

— *Librum, si malus est, nequeo laudare.*

IVVENAL.

VOLVMINIS V. PARS IV.

ALTENBVRGI

EX OFFICINA RICHTERIA.

CIƆ IƆ CCLXVIIII.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

I.

Delle Antichità di Ercolano. Tomo quinto o sia prima de' Bronzi: in proxime sequente pagina titulus legitur hic: *De' Bronzi di Ercolano e Contorni incisi con qualche spiegazione: Tomo primo:* BVSTI.

Napoli, 1767. *nella Regia Stamperia*. pagg. 289. si exceperis praefat. et indices. tabb. 82. praeter minora ornamenta. chart. max.

Quatuor operis vere regii, quod Herculani monimenta complectitur, volumina exhibent picturas, in illo tot seculorum sepulchro inventas, iamque, ne iterum se oculis hominum subducant, ad omnis posteritatis memoriam splendidis chartis commissas. Atque etiam certa spes est, fore, vt plura alio tempore picturae antiquae

monimenta euulgentur. Iam aliud ad artium genus se conuertit liberalitas Regia, cui litterae opus debent, quale nulla viderunt antea secula, quale sibi oblatum esse merito nostra aetas gloriatur. Cuius suae laetitiae auctorem non immerito agnoscit *Bernardum Tanuccium*, virum illustrissimum, quo dum administro instruendi sui muneris vti cogitamus Regiam munificentiam, non possumus non hanc felicitatem litteris gratulari. Immo patieris, excellentissime omni virtutum genere, *Tanucci*, me, vmbraticum hominem, Te, consiliorum vtriusque Siciliae Regis principem, alloqui. Nil spei damus: nil honorum, quibus fulges, dignitatisque, quam Tua virtute consecutus es, splendori. Animi Tui magnitudo, Tua sapientia, quam, tot praeclaris rebus a Te gestis, non vana Fama his regionibus narrauit, Tua humanitas hunc animum, liberum et ab assentationibus alienissimum, Tibi conciliauerunt. Illum, quem monimentorum Herculanensium editione, a Te commendata, adiuta, ornata, ostendisti, erga litteras amorem nisi praedicemus, indigni profecto hoc beneficio nobis ipsi videamur.

Quan-

Quantum putas omnes laetatos esse, posteaquam cognouerint, statuas aeneas, marmora caelata, supellectilem antiquam, gemmas, numos, titulos, vtriusque theatri, Pompeiani et Herculanensis, immo totius regionis descriptionem proximis voluminibus exhibitum iri? Quantum putas nos exsultasse, nuntio accepto iucundissimo, studio acri pergere viros doctos in codicibus repertis explicandis? Gratulemur Tibi tuam gloriam, nominisque immortalitatem. Nam a consentiente omnium, quae post nos erunt, seculorum praedicatione, meritissimarum laudum praemia reportabis. Interea nos, sacra litterarum colentes, feras, *Tanucci*, si partem aliquam pietatis nostrae extulerimus, quam vt intra meam solius conscientiam diutius continerem, magnitudo illius prohibuit.

Habet igitur, vt titulus indicat, hoc volumen aeneas imagines. Quinquaginta numerauimus, earumque species tabulis LXX impressa est. Nam non paucae et recta et obliqua specie exhibentur, vt eo melius totus vultus considerari possit atque cognosci. Quae quidem monimenta eo pluris aestimanda sunt, quo rariora sunt aenea opera:

aliis igne consumtis, aliis ad alios vsus ab insciis atque auaris dominis translatis. Certe extat Nicetae Choniatae fragmentum de vrbis direptione, et statuis ac monimentis post captam per Latinos Constantinopolin euersis et conflatis (*), vnde, quam parum militum furor aeneis monimentis pepercerit, discimus. Laudanda est etiam peritia artis manusque dexteritas *Campanae*, *Morgheni*, *Nolli*, *Boilii*, aliorum, in tractando stilo imaginumque forma laminis aeneis inscribenda.

Inter has imagines eae inprimis oculos nostros tenuerunt, quae veterum Philosophorum hominumque clarorum vultus exhibent. *Epicuri* imago in *tab. XIX. XX.* conspicitur, nomine sapientissimi mortalium (nam quidni illum ita appellemus, qui et iucunde viuendum esse docuit, et iucunde viui posse negauit, nisi sapienter, iuste honesteque viuatur?) huius igitur optimi Epicuri nomine insignita: sequitur alia imago eiusdem, nomine destituta, itemque tertia illius paullo iunioris. Huius Philosophi doctrina quam plurimos in Italia

(*) v. Fabricii Bibl. Graec. Vol. VI. p. 405. sequ.

lia cultores admiratoresque nacta fuit. Adfertur a viris, qui Herculanensia monimenta interpretantur, titulus Neapoli repertus:

Alsius. has aedes Aulus Soranus tuetur,
Ex Epicureio gaudivigente choro.

Hinc etiam illam imaginem, quae nomen praefert ΖΗΝΩΝ (*tab. XV. XVI.*) non ad Stoicum referunt *Zenonem*, cuius ab imaginibus euulgatis valde haec abhorret, sed ad Epicureos Zenones vel Sidonium, vel eum, cuius Cicero mentionem facit (*de Nat.* I, 21.) Nam reliquae quoque imagines in iis aedibus repertae sunt, vbi Philodemi, Epicurei, libri inuenti, quaedam in eadem bibliotheca. Atque referunt eae Epicureorum vultus. Nam alia imago in pectore praefert verbum ΕΡΜΑΡΧΟϹ (*tab. XVII, XVIII.*) qui *Hermarchus* Epicuri fuit amicus et haeres, Mitylaeneus, falso *Hermachus* appellatus. Alius Philosophi imago (*tab. XXV. XXVI.*) proxime accedit similitudine ad *Metrodori*, Epicuri familiaris, vultum, qui in Capitolio visitur. Sed in his imaginibus, quae nullum nomen praeferunt, multum coniecturis dari quis non videt?

 det?

det? Hinc caput pulcherrime elaboratum, diademate ornatum et venusta barbae caesarie, inclinatum paullo (*tab. XXVII. XXVIII.*) *Speusippo*, quem curuam ceruicem habuisse narrant, tribuitur: hinc *Archytae* Tarentini nomen imponunt capiti, peculiari tegmine ornati, quale marmoreum quoque in Capitolio, eadem de causa eidem tributum, signum praefert. (*tab. XXIX. XXX.*) *Heraclito* atque *Democrito* quam certe duo capita assignentur (*tab. XXXI-XXXIV.*) haud dixerim. Atque alia imagine (*tab. XXXV. XXXVI.*) *Senecam* exhiberi ipsi interpretes dubitanter nobis narrant. Nam quaecunque huius Philosophi vultum praeferre putantur, signa, nomine carent, ideoque certis indiciis destituta sunt. Mera quoque similitudo, quae inter imaginem foeminae, duplici diademate ornatae (*tab. XXXVII. XXXVIII.*) atque alias imagines, quas coniectura docti viri docti Sappho tribunnt, intercedit, interpretes commonet, vt hanc quoque illi assignent. Multo igitur certius suo nomine insignitur illa praeclara imago, quae nomen exhibet *Demosthenis* (*tab. XI. XII.*) iam a Winkelmanno euulgata,

ta (*); quem durius interpretes reprehendunt: qua in imagine labii inferioris singularis species vitium naturae, exercitatione victum, indicare videtur. paruum huic similem vultum habet, quae statim sequitur, imago, (*tab. XIII. XIV.*) quam ad eundem Demosthenem pertinere putant, sed iuniorem. Praeterimus alias imagines, clarorum Romanorum Imperatorumque vultus quae habere existimantur. Nam si quis putet certis omnia argumentis hic confirmari, ille errat. Nec vero proderit quidquam commemoratio imaginum iis, qui ipso libro carent. Maxime memorabiles tantummodo indicamus. *Scipionis Africani* caput tonsum esse creditur Romae in aedibus Rospigliosanis: huic quia similis est Herculanensis imago (*tab. XXXIX. XL.*) haec quoque ad Scipionem refertur, ipsis interpretibus haerentibus. Octauii Augusti (vt putant) imago, laude non exigua digna, habet titulum: ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΣ ΑΡΧΙΟΥ ΑΘΗΝΑΙΟΣ ΕΠΟΗΣΕ. (*tab. XLV. XLVI.*) Caput Aegyptiacum, diademate cinctum, Ptolemaeo Apioni

(*) *Sendschreiben von den Herculanischen Entdeckungen an den Grafen von Brühl.*

tributum ab interpretibus, cincinnos habet quamplurimos, quibus Ptolemaeus ille in numis conspicuus est. (*tab. LIX. LX.*) ob venustatem artis placent inprimis duo capita: alterum mulieris, capillos elegantissime pexos habentis, Berenicen putant (*tab. LXIII. LXIV.*) alterum iuuenis. (*tab. LXXIII. LXXIV.*) Nec tamen hominum tantum imagines hoc volumine continentur: deorum quoque exhibentur imagines. Quibus praefixum est monimentum memorabile, quod vel tanquam temporis Symbolum Ioui, temporum domino, dicatum esse putant, vel votum Ioui oblatum pro salute eorum, quorum capita addita sunt, existimant, vel Iouis, cum filiis, Castore et Polluce, simulacrum in larario positum habendum esse coniiciunt. Est luna falcata: cui mediae aquila insidet expansis alis, fulmine addito: alterum cornu imaginem praefert iuuenilem hominis, alterum foeminae. (*tab. I.*) Hoc monimentum sequuntur tria capita, Iouis, maiestatem praeferentis diuinam, Herculis, populea cincti corona, et Dianae, (*tab. II.*) quibus non inferiora sunt capita Iunonis duo, quorum alterum coronam radiatam praefert, alte-

rum

rum velum habet, Minervae unum galeatum, nisi potius iuuenem heroa agnoscas, (*tab. III.*) tria Sileni, in quibus barbam venuste pexam admiramur. (*tab. IV.*) Sed reliqua superare videtur elegantia sua caput, quod utrum Baccho an Fauno tribuant, interpretes dubitant. (*tab. V.*) Fronte eminent duo parua cornua, oculi grandes et feroces, frons pilosa, aures acutae: dextra manus serpentem tenet. Bacchus alatus, pampino et hedera ornatus, non tam ob artificium oculos allicit, quam ob alas nos moratur. (*tab. VII.*) Eandem ob caussam commemoramus imaginem aliam Bacchi, pampinis et uuis cincti et muliebri veste induti, (*tab. IX.*), atque imaginem Pomonae, tutulo ornatae, fructus sinu gestantis, (*tab. X.*) Etrusca veste ornatae. Habet haec imago oculos argenteos, et monile argenteum.

Praeter has imagines alia quoque antiquitatis monimenta hoc volumen exhibet. Nihil dicam de minoribus aeneis figuris, quibus chartae aptis locis ornatae sunt. Est earum non exiguus numerus. Pertinent huc personae comicae, variorum animalium figurae, clypei, equorum ornamenta, alia. Sed

haec

haec omnia enumerare quid prodest? Nec illorum explicationem viri docti neglexerunt (p. 273. sequ.) Non tamen praetereunda est aenea *manus votiua panthea*, quae in praefatione illustratur. (*p. 5-16.*) Est illa symbolis multis non tam ornata, quam cumulata. Praebet vero eadem viris doctis occasionem, ea examinandi, quae Thomassinus, Pignorius, Gorius de eiusmodi figuris panthei is scripserunt. Inprimis vero ostendunt, longe antiquiores esse figuras Pantheas, quam multi opinentur, atque hanc Herculanensem manum, nisi antiquioribus temporibus, Titi tamen aetati assignandam esse. Ipsi putant, in Aegypto haec monumenta nata esse, eademque *existimant* naturae viriumque naturae symbola. Porro exhibentur duo *honestae missionis* exempla, aeri insculptae: altera, ab Imp. Claudio data trierarchis et remigibus Misenensibus, antiquitatis commendationem habet, altera Vespasianus ius ciuitatis atque connubii tribuit *veteranis, qui militauerunt in leg. II adiutrice, pia, fideli, qui vicena stipendia aut plura meruerunt et sunt dimissi honesta missione.* Est vero illa Claudii tabula, (habet illa formam libri

qua-

quadrati, binis tabellis constat, annulis aeneis coniunctis) non autographa, sed exemplum inde sumtum, vt ex fine apparet: DESCRIPTVM ET RECOGNITVM EX TABVLA AENEA QVAE FIXA EST ROMAE IN CAPITOLIO AEDIS FIDEI POPVLI ROMANI PARTE DEXTERIORE. Denique sex caelati operis monimenta hoc volumen offert. Quinque sunt argentea: Primum, si fideliter artifex eius speciem reddidit, elegantissimum est doloris que felicissima imago: exhibet morientem Cleopatram: in secundo Satyrus cornutus ante aram, cui Hermia insistit, sedet et lyram pulsat: tres argenteae laminae Deam Fortunam ostendunt, cornu copiae et gubernaculum gestantem: quarta est lamina ex aere Cyprio, argento distincta. Aesculapius et Hygiaeae effigies habet, laudemque meretur.

Vellem viri docti, qui interpretationes addiderunt monimentorum, plura de artificio dixissent, pauciora ad illustrandam historiam explicandasque figuras attulissent. Nimis illi diserti sunt, vbi nulla difficultas adest; saepe ea repetunt, quae cuiuis nota esse merito si-

 bi

bi persuadere poterant. Quis nescit ea, quae de Iunone, nuptiarum praeside, de barbato Baccho, de serpentibus in mysteriis Bacchi occurrentibus, de velato mulierum Romanarum capite, de aquila, Ioui sacrata, dicuntur? Quidni resecta haec omnia fuerunt atque in illo opere omissa, quod talia nondum cognita habenti attingere non licet? Aeternitati dicatum est hoc regium opus ideoque nil exhibeat, quod tanto splendore indignum videri possit.

Finem huic volumini imponit libellus de triremium constructione. (*Modello di una naue a tre ordini di remi*) Nempe fratres germani, *La Vega*, nauem, quales veterum fuerunt, triremem construi posse suo exemplo ostenderunt, tribus remigum ordinibus confectis. Atque hoc modo veterum triremes constructas fuisse, antiqua etiam monimenta testantur. In quibus illustrandis non minus elaborauerunt interpretes, quam in tota re nauali antiqua explicanda.

II.

II.

Io: Matthiae Gesneri Biographia Academica Gottingensis. Volumen primum et secundum.

Halae, ap. I. I. Curt. 1768. 8.

Qui eloquentiae professoris munere in Gottingensi Academia summa cum laude functus est nuper, immortalis *Gesnerus*, ex muneris ratione elogia non pauca scripsit cum collegarum suorum, tum aliorum, qui ibi diem suum obierunt, aliquo numero hominum. Illa igitur studiose collecta, his voluminibus comprehensa atque edita sunt. Nam est eorum multiplex vsus atque praestantia. Primum enim eiusmodi virorum vitas exposuit *Gesnerus*, qui magnam sibi nominis famam ingenio et doctrina conciliauerunt, quorumque ideo fata non sine voluptate accuratius cognoscimus. Quis non *Brunquellium*, *Mosheimium*, *Koelerum*, alios, a magno *Munchhusio* ad suam Georgiam Augustam ornandam vocatos, laudat et celebrat? aut quis non lubenter sibi narrari patiatur, quales ii fuerint in vita domesti-

mestica, qui mores, quae eorundem opiniones? Quis non propius paullo nosse cupiat *Franciscum Rothfischerum*, qui magna ingenii et doctrinae laude cum inter suos floreret, impatiens duri ingeniorum imperii pertaesusque iniquitatis, vitae genus atque professionem mutauit, pristinisque de religione sensibus abiectis studia hominum animosque vehementer commouit, reditum, et sinum atque complexum offerentibus iis, a quorum partibus discesserat.

Continentur his voluminibus elogia *Io. Laur. Moshemii*, *Ioachimi Oporini*, *Io. Salom. Brunquelli*, *Tobiae Iacobi Reinharthi*, *Io. Frider. Wahlii*, *Gottl. Samuelis Treueri*, *Io. Iac. Schmausii*, *Io. Christiani Claproth*, *Io. Guil. Albrechti*, *Io. Gottfried Zinnii*, *Io. Dav. Koeleri*, *Io. Frider. Pentheri*, professorum olim Gottingensium, tum, de quo locuti sumus, *Rothfischeri*, qui cum valetudinis curandae causa Gottingam profectus esset, ibi obiit, amplissimo funeris honore ornatus, denique complurium tum foeminarum, tum iuuenum, in illa vrbe extinctorum. Haec elogia omnia sic scripta sunt, nihil vt elegantius cogitari possit, nihil vt suauius animum

[illegible] Nil dicam de facundia, quam in *Gesnero* fuit, de salibus, quibus orationem condiuit, vereque Atticis leporibus, de ipsa orationis Latinae laude, quam, siue vniuersum illius habitum spectes, siue singulas partes consideres, Romam ipsam felicissimamque Romanae linguae aetatem redolere, quo quisque rectius de his litteris iudicat, eo lubentius fatetur. De mirifico illo artificio loquor, quod in imaginibus hominum pingendis adhibuit. Neque enim satis habuit ita de cuiusquam ingenio, eruditione, et scriptis loqui, vt, modo nomen mutaueris, quibuscunque aliis eadem laus accommodari possit, sed, quae fuerit cuiusque propria virtus et indoles, quaeque in singulis eminuerint singularia, sic, vt in nullum alium hominem neque dici, neque conuenire possint, sollerter obseruauit eleganterque exposuit, imitatus egregios pictores, qui, dum imagines hominum pingunt, non tam humanam, quam suam cuique faciem reddunt, cuius ex adspectu et hominem cognoscas, quis sit, atque etiam de ipso ingenio animoque illius coniecturam facias. Nec tantum de iis, quibus eruditio et ingenium cen-

censetur, viuentibus locutus est, cum ea sola spectauit, quae huc pertinerent, narrauit quoque *Gesnerus*, qualis fuerit eorum, quorum elogia scripsit, indoles, quem habuerint erga suos, et erga alios homines animum, quas de religionis doctrina, de officiis, de moribus sententias animo tenuerint, secutique sint. Quae quidem omnia tanta arte, immo veritate expressit, vt desit nihil, quod ad totam hominis indolem, siue species ingenium et doctrinam, siue totam viuendi rationem cognoscendam pertineat. Immo ipsas animi morumque labeculas, quibus mortalium nemo caret, optimo quoque minimis paucissimisque laborante, non praeteriit omnino, sed tam molliter et delicate eas attigit, vt et veritati satisfaceret, et aliorum odio et indignationi occurreret. Quod quale sit, si quis cognoscere velit, ille legat elogium *Io. Iacobi Schmaussii*, viri, id quod nemo negat, egregie docti, sed diuersa valde hominum iudicia experti, cum ob sententias quasdam, tum quia toto in vitae genere ab aliorum moribus abhorrebat, se solum audiebat, sibi quae iucunda et recta viderentur, sequebatur vnice.

De

De illo quidem *Gesnerus* haec narrat:
„Hic illud monendos putamus lecto-
„res, cum ceteris in rebus secunda fa-
„ma viri esset, et iudiciis principum in
„republica virorum probaretur, non
„defuisse, quibus ea, quae de iure na-
„turae disputaret, similia his, quae a suo
„Thomasio praeceptore acceperat, vs-
„que adeo displicerent, vt inuidiam eo
„nomine non ipsi tantum auctori, sed
„viris sapientibus ac moderatis, qui
„Theologiam apud nos docent, face-
„rent, totique adeo huic literarum Vni-
„versitati, quae partim odisse impias
„sententias et virtuti omni euertendae
„natas, quin probare, non damnando,
„publice videretur. Quorum ille cla-
„mores satis acerbe repulit, in quos sa-
„ne et illis non dissimiles, si quis accu-
„sare vellet, qui decalogum Mosaicum
„aliter, quam ceteri, distinguunt, eos
„furtorum omne genus prohibitum sim-
„pliciter negare, quia septimo, quod
„ipsi numerant, capite legis Sinaiticae
„prohibita negant. Clamauit Schmaus-
„sius, honestatis legibus, pietati, Chri-
„sti praeceptis, ciuilibus legibus deni-
„que aduersari, se non negare, im-
„pietatem omnem, intemperantiam

 „omnem

„omnem turpitudinem atque Venerem:
„iuri naturae aduersari negarit, qui
„nomen iuris naturae angustis adeo ter-
„minis circumscriberet, vt non omnem
„legem naturae comprehenderet, sed
„ea tantum, quorum alii a nobis exi-
„gendorum, et, si negentur, per vim
„et arma extorquendorum facultatem
„haberent: Illud ita se habere, alii
„quoque moderati homines luculenter
„ostenderunt: quo successu, nihil ad
„hunc locum pertinet; neque nostrum
„quisquam litem, quae aequis iudici-
„bus in verborum concertatione posita
„inani videtur, suam faciet: nemo no-
„strum non optat, vt, quae legibus
„quibuscunque bonis prohibita sunt, aut,
„vt cum ICto (Papiniano) loquamur,
„quae facta laedunt pietatem, existima-
„tionem, verecundiam vestram, et con-
„tra bonos mores sunt, ea nec facere
„vos, carissimi ciues, posse credatis".
Quid potuit aequius dici, quid circum-
spectius?. Nec inferiora his sunt reli-
qua, quae ad mores Schmaussianos per-
tinent. Rediisse narrat, Schmaussium
ex Halensi Academia, vbi aliquamdiu
haesit, Gottingam, "sic tamen, vt ab
„eo tempore magis etiam sequi illud

„suum

„ fuum λαθε βιῶσας videretur. Neque „ ordini ICtorum, neque totius Academiae conuentibus, nisi solemnis officii „ et cerimoniae caussa interdum, interfuit, „ (quod ipsum tamen aliquot abhinc annis „ intermisit facere) quin neque priuatas „ salutationes vel obiit vel admisit. Cu„ius rei haec quoque caussa videtur fuisse; „ quod morbo quodam oculi lucernae „ lumen ferre recusarent: quo magis il„le parcus diurni temporis fuit, nec ela„bi quidquam illius sibi passus est. Sed „ neque publicos sacrorum caussa coetus „ adire a multis retro annis solebat, ne„que dissimulare, sibi de quibusdam „ receptis de religione sententiis actio„nibusque videri alia. Videtur autem „ ingrauescens aetas et praesertim vlti„mus ille morbus, propter quem pu„blice illum praelectionibus per hanc „ aestatem habendis renunciasse memi„nistis, Ciues, occasionem praebuisse „ reuocandi in animum, quae a bonis „ auctoribus inuenis acceperat et serio „ de colligendis feliciter, immo de re„linquendis, vitae huius sarcinis cogi„tandi *". Narrare igitur pergit, non solum in testamenti tabulis *Schmaussium* Christianae doctrinae cultum et reueren-

 tiam

tiam prodidisse, sed, epulis quoque diuinis perceptis, orasse, vt ecclesiae preces pro impetrando sibi beato facilique de vita discessu interponerentur. Atque haec, addit "vestra praesertim, Ciues „carissimi, causa paullo copiosius ex„posita sunt, vt intelligatis, etiam hos „qui quacunque de causa, vt sumus ho„mines, interdum abiicere vincula re„ligionis vel audeant re vera, vel certe „videantur, tamen, vbi ad eum locum „ventum est, quo desinere simulatio „solet, felicissimos se putare, si contin„gat vti iis, quae Christianorum per„suasio subiicit contra mortis terrores „remedia". Poteratne prudentius ea attingere, quae *Schmaussio* magnam inuidiam conflauerant? Immo hinc opportunam arcessiuit occasionem monendi, atque hoc exemplo efficacem doctrinae Christianae vim ostendendi. Reliqua si quis elogia legerit, eandem artem obseruabit. Nil potest perfectius cogitari ea tabula, qua tanquam lineis quibusdam ingenii *Moshemiani* imaginem descripsit. Quam dum contemplamur, non possumus non illam ingenii eruditionisque praestantiam mirari, animi comitatem morumque suauitatem

celebrare, quae in *Morhenio* eminuit, immo quibus quasi gradibus ad illud famae fastigium ascenderit, intelligimus.

Denique eorum quoque, quorum memoriam, praeter propinquos cognatosque, nemo curat, elogia additis corollariis quibusdam *Gesnerus* ornauit. Quibus in disputationibus non magis aptissimi argumenti inuentio laudatur, quam tractatio illorum iucunda et venusta. Modo ex antiquitatis memoria quaedam capita repetiit, modo sententiam aliquam Philosophorum explicuit: populari vbique oratione vsus et eo sermone, qui non magis delectet eruditum lectorem, quam ingeniosiorem quemque hominem, animi caussa ad hos libellos legendos accedentem, capiat. *Reinhardi* mors occasionem dabat *Gesnero*, quantus inter omnes populos, legibus cultos ad humanitatem et iustitiam, honor fuerit Iurisconsultorum, narrandi: *Schmauſſii* vero elogium scripturo commode in mentem venit interpretatio veteris praecepti. λάθε βιώσας. Nam non solum amicis persuadere studebat ille, *bene qui latuerit, bene vixiſſe*, sed ipse, quantum res ferret atque officium, hoc praeceptum sequebatur factisque

 expri-

exprimebat et toto viuendi genere. Alio tempore antiquum explicuit dictum, nisi ipsius medicinae patris, Hippocratis, antiquissimi certe scriptoris: medicum, qui idem sit philosophus, dei aequalem esse, certe similem: alio disputauit de fabulosa nobilium familiarum antiquitate, de intellectus et voluntatis mutua fallacia, de sancti Hieronymi gynaeceo. Aliquoties ex Graecis Latinisque litteris repetiit disserendi argumentum. Nam de vetere illa inter Herculem et Musas societate, de more veterum, mortuos coronandi, de inuidia fortunae, fati, deorumque toties a poetis accusata, de verbis secretum et secretarius, egit. Nullae vero disputationes suauiores sunt iis, quibus de morte et animi immortalitate agit, ex antiquae doctrinae campis floribus decerptis pulcherrimis aspersisque. Modo somni ac mortis similitudinem multis veterum scriptorum locis illustrat, modo caussas explicat, ob quas mortem contemnere quidam, et vel aequo animo subire vel appetere adeo videantur: modo varia, quae Philosophia subministrat, contra mortis metum praesidia commemorat. De Elysio, de beatorum insulis docte egit alio loco.

loco. Inter hos libellos eminent ii, qui de immortalitate animi philologumena continent. Quam admirabilem doctrinae copiam praefert libellus, in quo illam de perenni animorum natura sententiam in sacris Graecorum Eleusiniis commendatam esse mystis ostendit et argumenta virtutis inde petita! acute docet, immortalitatem animorum antiquissimos mortales, qui quidem in aliqua sapientiae opinione fuerint, credidisse magis quam argumentis necessariis demonstrasse! Inprimis reconditas atque tegumentis veluti quibusdam obscuratas veterum de hac re opiniones eruere atque explicare studuit. Licet enim non negauerit *Gesnerus*, doctrinam veterum, quam symbolicam dicimus, id est eam, quae signis quibusdam et imaginibus rerum docendarum vtitur, quam plurimum habere vanitatis, esse tamen in ea existimauit non contemnendas quasdam veri particulas. Has persequi, eruere, explicare vt putum censuit habere animi non infructuosum, ita ad humanorum ingeniorum historiam, rem non minus vtilem, quam elegantem, pertinere sibi persuasit. Quo consilio magna cum doctrinae

nae

piae apparatu ostendit, animum hominis imagine papilionis, quem Graecia ψυχὴν vocauit, frequentissime repraesentari, et gemmas scalptas aliaque monimenta antiqua figuris eiusmodi insignita laudauit plurima. Immo alio tempore apis quoque symbolo veterum philosophorum quorundam ad eandem rem indicandam vsos fuisse docet. Qui quidem libelli pleni sunt varia atque iucunda eruditione, immo, quomodo monimenta antiqua interpretari debeamus, ostendunt.

Et videtur ipse aliquid his disputationibus tribuisse *Gesnerus*. Non pauca enim sui exempli margini adscripserat, quae in hac editione adiecta sunt. Nam, quod supra monere debueram, copia facta est editori illorum exemplorum, quae emendatricem Gesneri manum praeferrent. Hinc aliquo modo videri possunt haec elogia ab ipso auctore retractata atque editioni parata. Quae cum ita sint, quis non lubenter se inuitari patiatur ad degustandam percipiendamque omnem, quae his libellis inest, suauitatem! quis non conformet se ad exemplum praestantissimi dicendi scribendique magistri, qui si quidem ad-

quentius Latini sermonis castitatem observauerint in verbis, dicendique formulis, nemo tamen, si totam orationem spectes, felicius Romanos scriptores imitatus est.

Qui vero tot virorum doctorum laudes aeternitati tradidit, ipse duo suarum laudum praecones nactus est, *Ernestium* atque *Michaelem*, viros clarissimos. Vtriusque elogium primo volumini additum est, non inuitis, credo, lectoribus omnibus, qui aut *Gesnerum* norint, aut ingeniorum historiam curent. Atque a *Michaele* petierat hoc moribundus *Gesnerus*, vt candide ac libere de se sententiam diceret, ne dissimulatis quidem, si qua reprehendenda viderentur. "Laudabimus, inquit Cl. *Michaelis*, qui Academiae nomine hoc elogium scripsit, si quis alius ea moriatur sui conscientia, vt similia petere a collega, ne viuis quidem adulari solito, audeat". Familiariter vsus fuit auctor *Gesnero*, ideoque narrauit de eo quaedam, non iniucunda lectu. Tria potissimum nobis digna videntur, quorum hic quoque mentionem faciamus. Fauit *Gesnero* Latina Musa, nec contemnendos ei versus dictauit. Sed non

eam

cum expertus est constantem amicum.
,, In poetica facultate, ait Vir Ex. ma-
,, gnum erat et prope singulare, quod eum
,, aliquoties [illegible] meminimus. Cum
,, enim ab anno LV sensim fortasse decre-
,, scens anno LX repente tota ei periis-
,, set gravissimo morbo; ex quo cum
,, convaluisset, frustra tentabat vel uni-
,, cum versum, non iam fundere, sed
,, omnino pangere; eadem est, aliquot
,, post annis, sponte, nec minus inex-
,, spectato, quam perierat, rediit.
Inexspectatum sane fuit et mirum visum,
quod *Gesnerum* de antiquis poetis tulis-
se iudicium legimus. Et quis non
miretur, vir legerit? Ab amico, cui
,, magna cum illo et studiorum coniun-
,, ctio et conspiratio sententiarum interce-
,, debat, interrogatus, de nostris poetis
,, quid sentiret? optimisne veterum opti-
,, mos nostros praeferret, aequipararet,
,, postponeret? post aliquantulam ad de-
,, liberationem haesitationem respondit;
,, si fas sit, poetas ex diverso genere
,, comparare, recentiorum se optimos,
,, vt Hallerum, Virgiliis Homerisque
,, praeferre. Nimio nefas fuit, poetas,
carminum argumento diversissimos, in-
ter se comparare. Denique intelligi-

mus *Gesnerum* de quibusdam dissensisse a
theologis nostris: non quaerimus hoc loco,
quam vere; modeste certe dissensit at-
que ita, vt dissensus a liberali animi in-
dole ortus esset. Sed quicquid huius rei
est, illud Cl. *Michaelis* verbis narrare
iuuat. „A profitenda theologia, cuius
„rei occasio non defuturum erat, philo-
„sopho sacrarum litterarum peritissimo,
„per omnem vitam abstinuit, quod de
„nonnullis aliter paullo sentiret, quam
„aut sentiunt ex theologis seueriores aut
„sentire eos Gesnerus putaret. De bo-
„norum enim inter Romanos, Grae-
„cos, Moslemos, aliosque populos
„euangelio non collustratos, salute pro-
„lixius sperabat; ad summi numinis
„bonitatem et sapientiam referens,
„quod aliquam illi populi, confictam
„quidem a mortalibus, sed tamen reli-
„gionem dei habuerunt, quae bonos
„in hac vita quodammodo redderet, in-
„que futura diuinae eos misericordiae
„commendaret. Nec tamen ideo omni-
„bus sectis aequus aut naturalis religio-
„nis admirator: his potius, qui Chri-
„stianam doctrinam conuellere allabo-
„rant, grauiter irascebatur, vt commu-
„nis felicitatis hostibus, eo iam, quam
„olim,

„olim, posthabuerimus, quod recen-
„tior aut Philosophia aut consuetudo
„gloriae stimulos, tum Graecis Roma-
„nisque acres, obtudisset, et, demum
„animis timore, vix boni cives fore
„re videamur. Ratiociniis, quibus di-
„gnitatem doctrinae Christianae defen-
„dimus, minus tribuebat, quam solent,
„qui in theologia philosophantur, rursus
„aliquanto suspicans: quapropter et ae-
„gre ferebat, examen religionis com-
„mendari, eaque, quae credi volebat ab
„auditoribus Christianis, et ab eorum
„doctoribus suis animisque et adfectibus
„adhiberi, tanquam dubia essent, ex
„cathedra sacra argumentis confirmari:
„fluctuationi enim id dare occasionem.
„Videbatur nonnunquam se proxime
„abesse, licet verbis non iisdem utere-
„tur, ab eorum (nec pauci illi sunt)
„theologorum sententia, qui argumen-
„tis pro veritate religionis Christianae
„nihil praeter veri similitudinem relin-
„quunt; vim cogendi ad adsentiendum
„et certitudinem exploratam negant,
„soli eam tribuunt testimonio Spiritus
„sancti, idque totum gustus esse vo-
„lunt, ac sensus interni, non ratioci-
„nii. Interrogatus enim ab his, quos
„vix

„vita quaedam coelestium videbatur, „posse se ipsi satis certa videri Chri„sti doctrinae argumentis non cogendibus sed se illam gustu ac sensu „credere, respondit: namque et alias „plurimum solatii ex ea percepisse, et „cum anno 1751 grauissima ex valetudine moriturus sibi omnino videre„tur, tam placide animum in ea ac„quieuisse, vt Deo auctori credat, tu„ta hic omnia et vera esse. Saepe et „addebat, maxime cum de recentiori„bus quibusdam theologorum litibus „sermo incidisset, de quibus quid sen„serit facile existimatu, sibi displi„cere religionem, quae multum habeat „ratiocinii sitque enthusiasmo vacua: „quo tamen nomine non intelligebat „illam amentiam, quam fanaticam „Theologi proprie dicunt, sed par„tim adfectus vehementiores, quibus „nostrum nobis non satis conscii abri„pimur, partim illud ipsum, quod te„stimonium Spiritus sancti internum „theologi, quodque, Augustini vocabulo, „gratiam dicunt". Narrantur alia quaedam, quae ad animi indolem spectant. Sed ea ipsis viris doctis legenda relinquimus.

CI,

Cl. *Ernesti Narratio de Io. Matth. Gesnero* addita iam fuit alio tempore Opusculis viri docti rhetoricis, quae in Belgio prodierunt. Illa lecta neminem fore credimus, nisi qui ingenium et doctrinam recte aestimare omnino nequeat, qui non honorificum inter praestantissimos viros locum *Gesnero* dandum esse fateatur.

III.

Tableau Historique des Gens de Lettres, ou Abregé Chronologique & critique de l'histoire de la Litterature Françoise, considérée dans ses diverses Revolutions, depuis son origine, jusqu'au dix huitieme Siecle. Par M. l'Abbe de L**

Parisiis apud Saillantum. 1767. Tom. I. pagg. 400. Tom. II. pagg. 458. 8.

Scripti nonnulli libri reperiuntur ab auctoribus, neque ingenii vi neque doctrinae copia valentibus, qui tamen cuidam hominum parti vtilitatem praebent, adeoque, si spectes auctorem, nullam laudem ferunt, si consilium et

vsum,

vſum, certe non omni vtilitate deſtituuntur. Ex eo genere hunc etiam francogallicum librum eſſe iudicamus, cui indicando has paginas tribuimus.

Conſilium cepit Abbas *Longechampius*, (eum enim auctorem libri perhibent) componendi hiſtoriam Francogalliae literariam talem, quae prodeſſe potiſſimum iuuenibus poſſet et quicunque Muſas patriae fauentes cognoſcere cuperent; laudabili conſilio, infelici euentu. Videtur enim Abbas noſter regulas et rationes, bene exponendi de fatis doctrinarum et ingenii, plane ignoraſſe. Fruſtra quaeſiuimus accuratam ingeniorum deſcriptionem, iudicii acumen, diligentiae religionem, artem eligendi, quae ad imaginem viri docti facerent luce ſua colluſtrandam, omittendi, quae aut nullum vſum haberent, aut ridiculam loquacitatem proderent. Adeo venuſtus auctor eſt, adeo elegans, francicus, vt, ſi accurate perlegis librum, putes ſpectare concionatorem Abbatem in ſuggeſtu nitido habitu ſe efferentem, pileum facete vibrantem, mortuo parentantem et

lepide lexeis compoſitas

 argute

argute proferentem. Quis, talem vbi videt, semper ab risu abstinere potest? Saepius etiam indignatio suboritur.

Eam nobis inprimis mouit praefatio, vbi magno hiatu promittit, quae nus-
p. 13. quam praestat. Veram laudem dicit nasci ex solida diligentia, quae ponderet meritum, laudes non vltra verum extollat, vitia non tegat, vnde aliquis magnus vir et doctus euaserit, rationem scrutetur, ostendat vnumquemque talem,
p. 15. qualis fuerit. Tum fastos Historiae se percurrere velle simulat, et optima quaeque colligere, vt indicet primos in stadio ingeniorum praeclaros duces. Partium studium ab initio statim ita prae se fert, vt diffidere ei cogamur.
p. 16. Praedicat Gallorum mores, leges, atque doctrinam eo iam tempore florentem, quo orbis terrarum vniuersus adhuc tenebris obsitus iacuit, contendens superstitionem Galliarum solum originem ducere a barbaris, qui in illas terras saepius excurrentes, incolas inquinauerint religionis superstitione. Quasi plane non caderet in Gallorum naturam prauitas vlla, omnes virtutes sibi,
p. 18. sq. vitia aliis deberent. Non minori cum iactantia arrogat popularibus suis, quae,

qui sapiunt inter ipsos, ridicule dicta existimabunt, appellans Galliam omnium disciplinarum *prima incunabula*, de quo honore putat alias regiones frustra gloriari. Causas dein enarrare studet, qui factum sit, vt tantus honor ab omnibus prorsus ignoretur. Sapientiam docet Gallos a primis acceptam parentibus et Patriarchis inde per manus tradidisse, et aliorum populorum discipulos suos populares esse negat, quos perhibet, philosophiae operam diu iam dedisse, cum nondum Graeci atque Romani de illius studio cogitauerint. p.20. cet.

Acute et facete noster Abbas francicus antiquis Gallis inde laudem quaerit quod constituerint, veneratique sint aras Apollinis et Mineruae, praesidum artium, et literarum. Ridebit, credo, vel qui maxime fauet genti suae, et, iudicio modo valet, vbi talia legerit praedicata, illustrata, et quasi in solemni pompa prolata. Quae paullo abhinc auctor monet de Druidibus, et poesi bellica populi sui, de legibus, et de fatis sapientiae Gallicae, ea vulgaria sunt, omnibusque nota, sed tamen inuoluit illa scriptor francicus verborum tanta mole, tamque ambitiosis ornamentis, p. 25.

vt neque placere doctis viris, neque prodesse iuuentuti vllo modo possint. Lepide ad finem praefationis de dignitate, labore, molestia operis sui verba facit multa, lectorique iniicit spem, fore, vt altum exstruatur aedificium. Nos iam vero de eo iudicemus.

Simile ipsum opus videtur aliis eiusdem gentis libris, qui ex leui genio seculi apud Gallos enati magnam prae se ferunt vtilitatem, nullam praestant, *Dictionaria*, *Anthologiae*, *Prospectus* appellitantur, atque eo tendunt, vt quivis, vel minimo negotio intelligens rerum, et doctrinarum, quas prorsus non intelligit, specie viri docti indutus esse videatur. Compilauit enim noster scrinia monachorum ordinis S. Benedicti, eorumque opus grande de re literaria Franciae (*) in compendium modo redegit. Intelligimus, sedula instituta comparatione, esse omnia, saepius verbotenus, illinc desumta, quae noster auctor

(*) *Histoire literaire de la France, où l'on traite de l'origine, & du progrès, de la decadence & du retablissement des sciences parmi les Gaulois, & parmi les François. &c. a Paris*, 1733 - 1756. Tom. I - X. 4.

auctor docet. Neque tamen id ſe feciſſe fatetur, ſimulat vltro, ſe collegiſſe vndique diuitias ſuas. Progreſſus vero eſt eo negligentiae, vt in laudandis auctoribus eas poneret paginas, quas monachi illi docti poſuerant, licet non poſſideret ipſas editiones, quo illa ratio referenda eſſet. Nec vero etiam de editionibus librorum, quibus vſus eſt, quidquam monuit; vnde auctoritates commemoratae vſum amittunt.

Principem virorum doctorum inter Gallos poſuit noſter Pythean in cuius vita deſcribenda, ſiue potius exſcribenda, memorabilem prodit eruditionem. Diuulgauerat Pytheas de inſula Thale p. 5. abſurda quaedam, eſſe ibi neque terram, neque aquam, nec aërem, ſed haec, inter ſe omnia confuſa, nouam et indigeſtam quandam molem efficere. Iam noſter excuſare popularem ſuum conatur. Quaeris quomodo? fuiſſe dicit eum morem omnium, qui commentarios itinerum conſcripſerint: iuuenes ſibi cauere ab illis ſcriptis debere: ſe non, cognoſſe auctores itinerum deſcriptorum vacuos ab fraude, niſi Preuotium, et Chardinum. Miraberis, ni fallor, cognitionem hominis ita vagam, vt ne

nouerit quidem auctores librorum, de quibus fert iudicium. Talia saepius inuenimus, vbicunque noluit aut non potuit legere vestigia monachorum doctorum ordinis Benedicti.

Traxit ab illis etiam auctor noster vitium, quo non deterius vllum in historia literaria esse potest. Turgido quodam dicendi genere ad coelum vsque effert laudes virorum, quorum pinxit vitam, errores eorum, vitia, male facta silentio premit, aut purgat, elato vbique vtens stilo, quasi dicat panegyricos. Nec dissimulat consilium. Elogia se scribere, saepissime profitetur. Quis itaque non succenseat tali historico, principes artis suae leges penitus neganti? Si qui sit, qui documentum quoddam illustre atque insigne legere cupiat, auctor ei sim, vt euoluat vitam Trogi
p. 38. Pompeii; quem posteaquam satis euexit laudibus, veritate, subtilitate, eloquentia longe superare Salustium, Tacitum, Liuium, contendit. Parcere verbis nequit simulatque laudare incipit. *Sentium Augurinum*, amicum Plinii, poetam neque magnae famae, neque, quod quidem sciamus, summae praestantiae, non verbis Plinii, qui tamen ipse amicitiae

citiae multum tribuisse, et non tam proferre iudicium suum, quam referre gratiam laudanti se ipsum videtur (*), non igitur Plinii modo verbis collaudat, sed addit, *nihil accessisse ad elegantiam huius poetae, omnes e Parnasso flores in suos versus transtulisse eum, superasse poetas in suo genere omnes*, et quae sunt eiusmodi alia ornamenta laudis maxima. p. 119. Eadem vituperatio ferit maximam partem historiae seculi quarti, vbi Ausonium modo sequitur, laudantem amicos suos, laudibusque Ausonii etiam semper aliquid de suo addere allaborat. Fucata inde omnis huius temporis species. Non vero solum modum saepissime excedit, sed falsa saepius imprudenter profert. De *Flori* historia haec (**): "*opus illud*, inquit, *meruit laudes omnium intelligentium. Oratione floret eleganti et pressa. Rerum narratarum delectus iudicii acumen prodit*". Quae p. 124.

 quum

(*) cf. libr. 4. Plin. Ep. 27. et libr. 9. Ep. 8.

(**) *Cet ouvrage a merité les eloges des plus habiles connoisseurs. Le style en est agreable, elegant & concis, le choix des matiéres y fait honneur au discernement de notre historien.*

quum quis legerit, qui Flori contortum scribendi genus cognouerit, nae ille mirabitur *iudicii acumen* nostri historici. Plura monimenta talis erroris, siue si mauis, impudentis leuitatis afferre possim: at vnum modo adiiciam. Ausonium noster Gallus in coelum vsque effert, appellat magnum virum, ingeniosissimum poetam, admiratur, quae alii
p. 343. sq. homines mediocriter scripta iudicant, versusque testes sistit, qui humili stilo
p. 355. repugnant laudibus, et negant, quod probare debebant. Neque id satis: obscurum et humanitate amicorum quo-
p. 366. rundam, *Ausonii*, *Symmachi* (*), et *Sulpitii* laudatum *Gregorium* quendam, Praefectum praetorio, onerat tanto verborum honore, tanta laudum copia, vt, si haec legeris, quid magis sit ridiculum, non quaeras. Omnia diuina humanaque scientia sua, dicit, tenuisse: nec hoc satis; oratione accedere ad optimos quosque auctores veteres: nec hoc satis: nullos imitatum esse, et ex sua ipsius intelligentiae supellectile omnia hausisse: nec hoc satis: Virgilii, Horatii, Cicero-

(*) libr. 3. Ep. 22. ad Gregorium ipsum, scribens, *oratione*, ait, *mirabilis es.*

ceronis laudibus parem esse confirmat. Quippe

> — — *gens prudentissima laudat*
> *Sermonem indocti, faciem deformis amici*
> *Et longum inualidi collum ceruicibus aequat*
> *Herculis Antaeum procul a tellure tenentis.*

Haud minore iure culpandus historicus noster, quod retulit in numerum virorum eorum, quorum vita describeret, homines ignotos, et nullo plane scripto edito insignes. Non vituperem, ab obliuione temporum vindicatos doctos viros, quamuis hucusque silentio iacentes, laudarem potius officium, doctrinae et meritis redditum. At vero indignor, vbi ambitiosa sedulitate omnes laudatos viros, video, quorum modo nomen in aliquo libro exstat, vbi video multa profusa encomia in honorem talium hominum, quos ipse auctor scripta edidisse negat. Secutus est quidem noster rationem auctorum grandioris operis, historiam literariam Galliae tradentis, quod supra diximus compilatum ab nostro esse: hoc loco repetimus querelam; enimuero cur, qui iuuenibus scripsisse ipse fatetur, tanta verborum profusione tractat, vnde nulla ad

illos lectores vtilitas redundat? Cur ponit inter viros doctos *Antonium primum*? nempe quia duces Benedictini posuerant. Saltim eligere bona compilator debebat. Plenus est liber laudibus hominum qui locum ibi habere nullo modo poterant. Omnes Grammaticos et Professores scholae Burdigalensis refert pari fere admiratione ad decora seculi quarti, atque lepida arte luxuriose auget, quae cecinerat in elogiis Professorum Ausonius. Ita et in aliis rebus versari solet. *Glabrio*, *Luciolus*, *Staphylius*, *Minervius*, *Crispus*, *Vrbicus*, *Herculanus*, *Citarius*, *Patera*, *Exuperius*, *Vrsulus* aliique ignoti homines pari cum Petronio, Eutropio, Lactantio, optimis aliis scriptoribus honore fruuntur. Caracallae vitam describit, quia officere literis videbatur, in cuius enarratione auctor plus tribuit opinionibus quam vero; vitam Constantini iunioris exponit, quia leges quasdam bonas tulit: cur vero Theodorum, Hellespontium, Icarium, alios adpinxerit imaginibus virorum doctorum, ipse forte nesciet. Late patet hoc vitium auctoris nostri, atque sparsum per ambo volumina inuenitur.

p. 99.
p. 245.
p. 250.
p. 165. sq.
p. 231. sq.
p. 299 et 256.

Condo-

Condonamus tum Gallo, tum Abbati, quae passim amara quadam acerbitate aduersus homines, quos intemperantia vocat *haereticos*, effunduntur. Inuiti autem animaduertimus nebulam inde saepius vero historico fuisse obductam. Vitae Maximini et Paulini, Episcoporum Treuirensium, colorem ex ista ratione prorsus fucatum traxerunt. Iniqua acerbitate illorum aduersarium Saturninum inuadit, cuius vitam pinxit nefariam scelestam, impiam: immerito. Namque obnoxium inuidiae eum fecerat gratia, qua valuit apud imperatorem; atque, si diligenter inquirimus in illa tempora, Paulinus Athanasio, homini ad rixas et turbas nouandas prono, plus iusto fauit, sustentauitque eum, vbi iram mollire satius fuerat. Hilarium eo maiori cura celebrat, licet ille imprudentem se et pertinacem gesserit, atque in ipsum imperatorem Constantium inuexerit procacitate pessima, eademque ridicula, quippe appellans illum *Antichristum*, crudelioremque ipso Nerone. Talem hominem cum laudatum, cum prauitatem purgatam legimus, num fidem historico habere possumus?

p. 239.

p. 258.

p. 267.

Affe-

Afferemus iam loca, vnde, quale sit in indicando nostri auctoris acumen, intelligatur. Plurimis verbis extollit castitatem Sancti *Reticii*, qui in matrimonium duxerat nobilem virginem, *eo solo consilio, vt continentiae sociam teneret* (*) *cui virtuti potissimum operam dabat*. Hanc itaque virtutem ex mente nostri Galli, continentiam, non vlla alia meliore ratione colere poterat, nisi matrimonio inito. Quid? si sequatur Abbas noster sanctum Reticium. Ex animi sententia censeo sequendum esse. Forsitan oriretur tum idem aut simile prodigium quod accidisse in sepulchro Reticii, cum mortua ibi posita femina, siue potius *virgo Reticii*, e mortuis excitata, eum amplecteretur tenerrimo affectu, narrat. Memoratu dignum videtur nostro Abbati, Ausonii natu maiorem puerum recens natum mortuum esse: Fausti matrem adeo piam fuisse, vt cum Rebecca comparari posset: Sanctum Perpetuum episcopum Turonensem testamentum sanxisse, in quo liber-

p. 209.

p. 546.

Tom. 2. p. 552.

(*) *le motif & l'objet de cette chaste union etoit de trouver une compagne de sa continence, vertu pour la quelle il avoit une predilection particuliere.*

libertatem seruis donasset, et quae in Tom. 2.
sepeliendo obseruata vellet, ostendisset; p. 374.
finem continere preces: duo homines,
Arii disciplinae addictos, quia ex com-
posito non adfuissent eo loco, quo col-
loquium eis Ambrosius condixerat, fuis-
se, mirabile dictu! de curru, quo tum Tom. 1.
forte veherentur, subito delapsos, et p. 391.
morti deditos: eundem sanctum Am-
brosium hospitis in Italia filiam e mor-
tuis excitauisse: Sanctum Lupum, po- Tom. 2.
steaquam septem dulces annos in con- p. 241.
iugio exegisset, pactum esse cum vxo-
re Pimeniola, vt ne amplius alio nisi
fraterno et sororio, amore inuicem vte-
rentur: *Perfectionem euangelicam* (*)
caussam dicit huius diuortii fuisse Abbas;
quam, qui non sunt Abbates, vereor,
vt accipiant. Ausonii ingenium aequat Tom. 1.
noster historicus ingenio Anacreontis. p. 361.
Plura iudicii summi Francici documen-
ta addere piget.

Laudandi intemperantia, gentis suae
amor, iudicii, francogallica leuitas ea
potissimum, quae indicauimus, pecca-
ta procrearunt. Quibus peccatis si nul-
la intermista bona esse diceremus, pla-
neque

(*) *la perfection evangélique.*

neque risui librum exponeremus, iniuriam auctori faceremus. In Vita Cledouei inprimis alienum ab opinionum prauitate sese praestitit et satis prudentem. Alibi etiam non Abbatis personam prae se tulit, quemadmodum in iis, quae collegimus paullo ante, locis. Quodsi doctrina maiori instructus diligentiorem iniisset rationem, atque vltra compilatorem se sustulisset; laudem profecto meritus esset. Iam vero non adeo ieiunam huius libri doctrinam, non adeo inutilem Abbatis operam iudicamus, vt reiiciendam prorsus eam existimemus. Non laudem quidem collegit sibi auctor, sed epitomen libri maioris et pretiosioris confecit vtilem, si a vitiis sibi cauent, iuuenibus, et iis, qui grande opus comparare nequeunt. Saltim continet liber ille vitas omnium et historiam hominum, qui Gallias ingenio et doctrina illustrarunt. Plures quidem indignos eo honore viros celebrat noster, at vero nullum praeterit, quem nosse vllius viri docti intersit. Quare, si, quod promissum in actis quibusdam diurnis literariis legimus, *interpres* nostri auctoris *teutonicus* regulas callet, bene conscribendi historiam literariam

Tom. 2. p. 431. sq.

rariam, instructusque satis ampla scientia rerum, quae ad hanc eruditionis partem faciunt, accesserit ad hoc opus vertendum, donandumque germana interpretatione, non frustra eum operam navaturum esse confidimus; modo vbique accurata vsus diffidentia, non semper conuertat, sed et emendet auctorem, atque perfectiorem reddere studeat. Speramus et ipsi, fore, vt addat notas quasdam versioni, necessarias illas huic inprimis operi, et tales, quae pretium libri augeant, ridicula tollant, errores emendent, perducant vbique sententiam auctoris, aut correctam, aut plane immutatam, ad veritatis honorem. Colliget talis huius libri interpres, quem optamus, et a Musis expetimus, sibi ipse gratiam virorum, historiam literariam amantium, hoc est, omnium qui literis bonis bene cupiunt, atque simul, quantum intersit inter francogallicam levitatem lubricam, et teutonicam diligentiam instam, declarabit. Quod votum, profectum ex animo literarum emolumentis consecrato, vt audiant bona numina, precamur.

C.

IV.

IV.

Christoph. Cellarii Orthographia Latina, ex vetustis monumentis, hoc est, numis, marmoribus, tabulis, membranis, veterumque Grammaticorum placitis, nec non recentium ingeniorum curis excerpta, digesta, nouisque obseruationibus illustrata.

Altenburgi, ex offic. Richteria, 1768. 8. Vol. I. pagg. 390. Vol. II. pagg. 298.

His accessionibus Cellarianum libellum, notum omnibus multorumque manibus tritum, locupletauit ornauitque Cl. *Harlesius*, nullus vt hoc sit eorum studiis accommodatior, qui hanc partem Grammatices accuratius cognoscere velint. Est enim ipse liber luculentus, est diligenter ab auctore scriptus, multaque continet cum a Cellario, tum ab aliis obseruata. Quare patrum aetate vehementer laudabatur commendabaturque ille iuuentuti, cuius e manibus hunc aliosque libros, olim frequenter lectitatos, excussisse videtur ventosa illa eruditio, quae e Galliis, ni fallor, ad nos venit, ingeniaque nostrorum hominum,

num, nescio quam laudem elegantiae captantium, afflauit. Nolumus seuera lege proficere: displicet delicatulis animis ea diligentia, quae minima etiam curat, nec persuaderi sibi patiuntur iuuenes, Grammaticam, licet sola ex omni studiorum genere plus habeat operis quam ostentationis, tamen adeo necessariam esse, vt, nisi haec fundamenta fideliter ieceris, quicquid superstruxeris, corruat. Est sane habenda iis gratia, qui ad maiorum exempla nostros animos reuocent, est laudandus et praedicandus noster *Harlesius*, cuius nomen Doctrina et Probitas, dudum diptychis suis inscripserunt, qui in hanc rerum tenuitatem descendit, qui cauillationes hominum, his ingenia concidi et comminui, contemsit, qui, non populari aura ductus, sed rei ipsius vtilitate commotus, longe difficiliorem, quam nostri homines solent, famae comparandae viam iniit. Estne enim adeo difficile, ab eo seculo, quod in nugis lubentissime acquiescit, quodque Sosiarum famelicae genti iudicandi licentiam dedit, qualemcunque nominis celebritatem colligere? Inuitatus vero fuit inprimis *Harlesius* ad Cellarianum libellum euulgan-

 dum

dum obseruationibus *Heumanni*, quas hic in ora sui exempli notauerat. Nam Richtero Vinariensi, qui eundem librum edendi consilium ceperat, eas mittere voluit. Habent hae obseruationes multa bona, auctorum inprimis multorum, qui huc pertinent, mentionem faciunt, atque, vt omnia, quae ab illo profecta sunt, viri laboriosi studium redolent. Has obseruationes suis auxit *Harlesius*, collectis magnam partem ex *Heinsii*, *Cortii*, *Bentleii*, *Drackenborchii*, *Schwarzii* commentariis. Vbi tamen hanc sibi legem scripsit, vt modum teneret, nec ad extremam vsque anxietatem descenderet, vt per hanc disciplinam eundum, non haerendum esse circa illam, ostenderet, vt suo exemplo doceret, id quod Quintilianus monuit, nihil ex Grammatica nocere, nisi quod superuacuum sit. Nam omnia, et minutissima quaeque, hic persequi, aut nimiae miseriae aut iactantiae inanis est: immo detinet et obruit nimia haec subtilitas ingenia, melius aliis maioribusque vacatura. Interdum longiusculas adiecit disputationes, qualis est illa (p. 14. sequ.) de permutatione litterarum in codicibus manu scriptis, quam

non

non inuiti legent Criticae artis studiosi. Nostro certe in animo illius lectio votum, iam olim factum, renouauit, vt ederet aliquis librum Latinis auctoribus emendandis inseruientem, qualem dedit Guil. Canterus *de ratione emendandi Graecos scriptores*. Cui consilio valde prosunt editiones auctorum veterum in Belgio a viris doctis adornatae, in quibus verborum litterarumque permutationes diligenter notatae sunt. Huc pertinent quoque quae de vocalium longiori forma (p. 77.) de adspiratione et signis spirituum (p. 102.) de accentibus et apicibus Latinorum (p. 122.) de geminatione litterarum, (p. 154.) ne plura exempla laudemus, verbosius disputantur. Sed redimus ad Cl. *Harlesium*. Ille etiam ex *Manutii* et *Dausquii* libris, quae necessaria iudicaret, excerpsit, et, cum ii iam rarius inueniantur, in compendium quoddam eosdem redegit. Vsus quoque fuit *Schurzfleischianis* obseruationibus, quibus Cellarianae aut augerentur, aut illustrarentur, quanquam mihi vix videntur illae Schurzfleischium auctorem habere: certe non eo consilio, vt ederentur, scriptae. Denique multum profuerunt Nostro *Emendationum libri*

duo, ab *Heusingero*, viro olim doctissimo, euulgati, e quibus complura in hunc librum transtulit. Praeterea accepit a *Longolio*, Viro humanissimo et honorificum inter viros doctos nomen cum aliis libris, tum Plinianarum Epistolarum editione adepto, animaduersiones quasdam, suis locis propositas. "His „igitur, ait *Harlesius*, subsidiis et aliis „me effecisse arbitror, vt, licet non „perfectum et omnibus numeris absolutum opus orthographicum, tamen „satis plenum, quatenus iunioribus lit„teraturae Romanae amicis sufficiat, aut „saltim vberiora ad Cellarii Orthogra„phiam collectanea, quae facile possint „locupletari, vsui tuo et iudicio trade„rem".

Neque tamen his contenta fuit *Harlesiana* diligentia, cui debemus duo alia opuscula, Cellariano libro addita. Huc pertinent *Gottlieb Cortii* tres dissertationes Criticae *de vsu orthographiae Latinae*, Lipsiae olim a viro eruditissimo editae. Qui Sallustium Cortianum vel viderit vnquam cognoueritque viri immensum studium, explicandi, illustrandi, emendandi auctoris sui verba, ille etiam facili coniectura assequetur, quantam

tam exemplorum vim attulerit idem ad argumentum propositum explicandum, quam curiose obseruauerit omnia, quae huc pertinerent, vno verbo, quam vtilissimam esse horum libellorum lectionem intelliget. Alterum opusculum est inscriptum: *Latinitas et orthographia vtriusque Pisanae tabulae Augusta aetate digna contra Octauium Boldonum Episcopum Theanensem demonstrata a F. Henrico Norisio*: de quo libro non opus est vt quidquam dicamus. nam *Cenotaphia Pisana* nemini ignota sunt. Ego vero, quod addam, habeo nihil. Quorundam tamen caussa, magni *Erasmi* verba adscribam, quia summum viri illius nomen, ingenio et eruditione ornatum, maiorem nostrae sententiae fidem conciliaturum esse spero. *Grammatica*, inquit, *tametsi nonnullis disciplinis est dignitate posterior, nullius certe opera magis necessaria. In minimis versatur, sed sine quibus nemo euasit maximus: nugas agitat, sed quae seria ducunt.*

V.

De l'usage des Statues chez les Anciens. Essai historique.

a Bruxelles, chez I. L. de Boubers. 1768. pagg. 502. c. fig. aen. 14. quaternis.

Nouo modo se de arte veterum statuaria acturum esse auctor, cuius nomen ignoramus, sed qui ipse, se *de asylis* librum scripsisse, commemorat, profitetur. Nolle se ait de ingenio manuque artificum agere, nec historiam artis illiusque vicissitudines enarrare: se Philosophi partes sibi sumsisse. Causas, quibus statuae originem debeant, indagandas sibi, quomodo a libertate reique publicae forma diuersa faciem diversam acceperit haec ars, obseruandum, quaque necessitudine statuaria cum virtutibus, vitiis, opinionibus, erroribus, legibus, populorum coniuncta fuerit, quomodo ab his formata sit, aucta, adiuta, impedita etiam, quomodo vicissim haec illius vim experta sint, commemorandum esse. Atque facile largimur, dignam esse hanc statuarum considerationem Philosophi ingenio, multaque

p. 193.

taque subtiliter et acute disputari posse fatemur. Rei statuariae historiam, quae deorum cultus habuerit initia, quos progressus, ostendere, quis nescit? Statuas, hominibus datas, praeclare factorum testimonia, atque cum ambitionis pabula, tum instrumenta fuisse, quibus et legum auctores, et viri rerum ciuilium periti ad hominum animos excitandos vterentur, quis ignorat? Ipsum quoque Auctorem addimus multa dixisse bona, luculenter docuisse, vsum statuarum apud veteres late patuisse, ad mores pertinuisse, ad religionis doctrinam, ad imperiorum formam: intelligimus eundem acute et ingeniose ex cuiusque populi ingenio singularem quoque propriumque quendam statuarum vsum deriuasse. Hinc vt alia obseruemus accuratius efficit, quae vulgo negliguntur, cum statuarum hodie non talis sit cultus, talis honor, qualis fuit olim; aliorum vt causas perspiciamus, eidem debemus. Commendamus libri lectionem iis, qui non solum, quid factum sit, scire, sed etiam, cur quidque factum sit, intelligere velint. Sed videtur etiam magis indulsisse Auctor consilio suo, quam rei veritas concederet, atque plus

tribuisse coniecturarum iucundae speciei, quam fas esset. Non reprehendimus virum acutum ad barbarorum quoque, qui hodie sunt, ingenia et mores respicere. Nam multa hinc peti largior, quae antiquissimorum populorum mores, sententias, artes, illustrant; atque harum rerum origini inuestigandae inseruiunt. Sed non satis sibi cauisse videtur ab eo, quem plures commiserunt, errore, nec considerasse, ad ingenia hominum fingenda et mores formandos multum positum esse in coelo et aëre, in cibi potusque ratione, aliisque fortuitis caussis, quae vix eo ipso tempore, quo vim suam exserunt, obseruantur, nec posthac obseruari possunt. Immo cogitare debebat, non esse idem omnibus temporibus gentium ingenium, esse cum sapientiae tum barbariei quandam in genere humano vicissitudinem; eos, vnde exempla petat, populos non tales esse potuisse tum, cum Europaeis innotescerent, quales ante multa secula fuerint, ideoque in originibus rerum indagandis non satis certum eosdem praebere testimonium; nos non cognouisse barbaros tales, quales a naturae manibus ficti formatique fuerint, sed mul-

torum

torum seculorum serie iam mutatos! Praeterea in ipsa operis descriptione longe meliorem rationem sequi poterat Auctor. Cur, quae Iunius et Figrellius sat clare explicuerunt, repetiit? Poterant ea omnia, tanquam nota, relinqui: ex his tantummodo philosophandi materia repetenda erat: non verbosam rerum ipsarum narrationem, quam potius illius, quod verum est, quodque subest rebus, indagationem exspectauimus. Hoc si fecisset Auctor, multo non solum breuiorem sed iucundiorem quoque libellum haberemus. Iam habemus opus, in quo multa non necessaria occurrunt, alia sat nota verbose commemorantur, immo in quo desiderauimus aliquoties eam accuratam diligentiam, in laudandis veterum locis, in scriptura Graecorum et Latinorum verborum, quae antiquitatis interpretem ornat (*). Denique quid prohi-

 buit;

(*) v. c. p. 5. *on peut voir l'extrait* in acta eruditorum Lypsiae. p. 28. v. Lindenbroc. observ. in Am. et Baergens. dans son Traité des Obelisques, Flam. apud Graev. Thes. Antiqu. T. IV. (Petr. Ang. Bargaeus, credo, indicatur) p. 204. *Pomp. Mell. Mus. Cortbon.* p. 376. *Causauban.* p. 414. *Dempter.*

buit, quo minus Auctor maiorem in scribendo curam poneret, iucundiorique oratione animos lectorum alliceret? Nos certe, qui alacriter libri lectionem aggressi sumus, aliquoties illum sepo- suimus, scribendi genere, quo auctor vsus est, impedito defatigati.

Pars operis *prima* capitibus absoluitur XIX. de origine statuarum: quomodo superstitio abusa sit monimentis signisque sacris eaque diis fictis tribuerit? quomodo informia signa humanam speciem acce- perint? de origine simulacrorum in Grae- cia, de numero illorum diuersis in re- gionibus aucto, de caussis, quibus nume- rus statuarum auctus sit, id est de cul- tu deorum, de laribus et penatibus, de statuis votiuis, de vsu metallorum mul- tiplicato: de symbolis, quibus statuae deorum ornatae, de prodigiis et mira- culis, statuis tributis: de cultu et ho- nore, statuis diuinis habito: de statuis hominum, religioni additis ritibusque, quibus iis hic honos haberetur.

Auctoris sententia, si recte illius men- tem percepimus, haec est. Antiquissi- mi homines solida et luculenta moni- menta collocauerunt, vt memoriam tum beneficiorum a diis, vt putabant,

acce-

acceptorum, tum prodigiorum, iisdem tributorum, conseruarent, atque etiam vt numinis summi notionem signis, quae in oculis incurrerent, exprimerent, homineseque ad qualemcunque cultum excitarent. Gratus animus, timor spesue, interdum ciuilis et publica ratio vsum eiusmodi monimentorum et reuerentiam inspirauere hominum animis. Caussam verae religionis cultores habuerunt eandem, quam falsae addicti: nam necessitas, signis claris sensus a religione excitatos exprimendi, est in vtraque par atque eadem. Solam differentiam faciunt ea, ad quae illi sensus se vertunt. Quemadmodum vero deorum cultus sensim latius serpsit, sic etiam idem monimenta beneficiorum aut prodigiorum in effigies numinis mutauit, cumque deorum numerus a superstitione augeretur, viris, ob admirabilia facta et beneficia illustribus, diis antiquis physicis et metaphysicis additis et cum iis commixtis, illorum quoque signa multiplicabantur. Interim dispersae gentes in societates coalescere; hinc industria et artium studium nasci: informia cultus monimenta politiorem formam induere quadrati primum lapidis, interdum columnae,

lumnae: his homines imaginem aliquam primum insculpere, mox caput humanum imponere, alias corporis partes addere, tandem totam hominis formam effingere. Titanes ex Asia et Aegypto in Graeciam peruenerunt atque huic terrae intulerunt prima religionis initia, artesque maxime necessarias. Cultus deorum non potuit non talis esse, qualis fuit in Phoenicia et Aegypto, vnde illi Titanes orti, mox ipsi a Graecis in deorum numerum relati. Diu hi informia signa retinere, etiam, melioribus statuis diis consecratis, rudia monimenta coluerunt. Igitur in Graecia non prima simulacrorum origo quaerenda est, sculpturamque Graecia debet Asiae et Aegypto, vt alias artes. nec alii populi a Graecis solis ea acceperunt. Ex Asia plures coloniae emanauerunt, suosque secum deos diuersis regionibus intulerunt, dederunt etiam Italiae. Omnia vero a Graecis et Asiaticis coloniis consecrata simulacra diu formam rudem conseruauerunt; ipsi Graeci artifices primis seculis expresserunt seruili imitatione peregrina exempla: Simulacrorum perfectionem retardauit cum superstitio, nil innouari cupiens, tum leges quaedam,

dam, vt Numae apud Romanos, impediuerunt. Ex opulentia natum studium luxus et elegantiae: ipsi sacerdotes elegantiam statuarum religioni vtilem iudicauerunt: hinc sculptura latius effloruit, atque simul deorum cultum iuuit et auxit. Emendationis perfectionisque primordia vidit statuaria in Asia, vbi eam iam antiquissimis temporibus mirifice excultam fuisse, multis argumentis constat. Reliquis in regionibus non sat accurate perfectae sculpturae tempus definiri potest. Probabile videtur, colonias Graecas vbique sculpturam sculpturaeque opera disseminasse. Romani bellis in Sicilia et Graecia gestis meliorem statuarum formam debuerunt. Numerus crescens penatium lariumque sculptoribus exercendae artis materiem praebuit, votaque cum publica tum priuata statuas augebant. Metallorum maior minorue vsus et copia auxit minuitue statuarum numerum. Antiquissima monimenta lignea fuerunt et lapidea; accessit argillae vsus: lignea et fictilia signa picta quoque sunt variis coloribus: sensim ad simulacra ex aere, ferro, auro, argento conficienda processerunt; denique marmore quoque vsi

sunt

ſunt et ebore. Statuae varia ſymboli praeferebant, ex antiquorum temporum doctrina ſeruata, et priſcae originis ſigna. Statuis prodigia miraſque vires tribuebant: diuinitus eas ad ſe delatas eſſe credebant: ab his fata vrbium dependere ſibi perſuadebant. Cum ſuperſtitio, tum principum aſtutia hanc perſuaſionem conſeruare et propagare ſtudebat. Hinc obſeſſarum vrbium curae, hinc euocationes deorum. Statuis deorum multiplex honos habitus. *Aſylum* praebebant illae, lauabantur, circum geſtabantur, vt alia taceamus. Hac ſumma in ſtatuarum veneratione principes aut potentes viri, ambitione ducti, ſibi quoque ſtatuae vt ponerentur curarunt, conſecrandas olim poſt mortem. id quod eo facilius fieri poterat, quia ſacerdotii dignitas primo magiſtratui antiquiſſimo tempore addita erat. Immo viui videnteſque ſuis ſtatuis diuinos honores haberi principes cupiuerant. Romae inprimis Imperatorum ſtatuis ſeruilis cultus habebatur. Senſim et gradibus quaſi quibusdam ſtatuae hominum diuinum cultum nanciſcebantur. Quae conſecratio et dedicatio certis ritibus abſoluebatur. — Dedimus breuem

argu-

argumenti descriptionem. Copiose haec omnia ab Auctore exponuntur.

Pars *altera* ad statuas honorarias pertinet, et capita XXI. complectitur: de statuis honorariis apud Graecos et Romanos; de statuis triumphalibus, de statuis ob ingenii doctrinaeque facultates decretis, de statuis foeminarum, de statuis patronis a clientibus positis, de statuis a pietate liberorum aut amore parentum ortis, de statuis, rerum memorabilium monimentis, de titulis statuarum, de ritibus, in collocandis statuis obseruatis, de locis, vbi statuae ponebantur, de diuersa decernendi et ponendi statuas ratione in libera republica atque in regione imperio vnius subiecta, de abusu statuarum honorariarum, de honoribus, eiusmodi statuis habitis, inprimis statuis principum, de iis, quae lege Iulia de statuis praecipiuntur, de contumeliis, quibus afficiebantur statuae eorum, qui criminum rei essent, certe existimarentur, de victoribus, statuas captarum regionum sibi arrogantibus, de statuis, aedium ornamentis, de cura, qua statuas conseruabant, de statuarum collectionibus, litterarum et artis amore comparatis. — Iuuat tantum summa

ma rerum capita attingere. Quidquam hinc excerpere non licet. His vero omnibus lectis cognitisque clare intelligimus, non solum magnum honorem statuis adiunctum fuisse, sed his quoque publici cultus et grati animi monimentis vehementissime hominum animos inflammatos fuisse. Immo hinc deriuandam esse putat Auctor tot virtutum et excellentium facinorum originem, quae antiqua historia commemoret: hinc amorem patriae natum: quo magis *floruerit* hic honos, eo maiorem fuisse magnorum virorum numerum.

Tertia pars quinque capita habet. Primo agit Auctor de sculptoribus antiquis, in Asia, Aegypto, Graecia, Italia, nominaque recenset clarissimorum artificum et opera: tum ad ingenium transit artium apud diuersos populos, et de caussis agit, quae propriam in quaque regione formam speciemque statuariae dederint; porro luculentis exemplis docet, quanta cura veteres obseruauerint, quid deceat, quid naturae rei conueniat, quid locorum, et personarum ratio postulet: tum de varia magnitudine, forma et appellatione statuarum exponit: etiam de similitudine vultuum,

tuum, de basibus, de colossis. Denique de extincto artis flore, caussisque, quibus statuariae perierit honor, sententiam suam dicit. Remisit Auctor hac in parte paullum de seueritate Philosophi: non iniucunde de manu veterum artificum, de pulchritudine operum antiquorum disputat: recentiorem etiam aetatem interdum attingit. Quae quidem licet ita sint, multo tamen doctius, accuratius, elegantius eadem a Winkelmanno nostro exposita sunt.

Additae sunt libro epistolae duae nobilis Angli, *Montagu*, de mythologia Aegyptiaca, inprimis de numine, quod Cneph appellabatur.

Pauca dicamus de figuris, operi additis, in quibus peritiam manus, stilo inscribentis formam solidam monimentorum laminis, inuiti desiderauimus. Prima tabula Cynocephali simulacrum exhibet, altera vrnarum duarum opercula, Canopi speciem referentia, tertia Apollinis radiati caput marmoreum: quarta duo signa Aegyptiaca, gypsea, colore caeruleo obducta, in sepulchris inuenta: tres proximae habent aliquot signa Aegyptiaca parua, ea quoque in sepulchris inuenta, sequentes ve-

ro capita marmorea Caracallae, Scipionis, Senecae, Commodi, Annii Veri, Aristidis, Euripidis, vltima opus, vt coniicimus marmoreum, caelatum, Aegyptiaci artificis. Vellemus, vt de his signis copiosius Auctor exposuisset. Paucis tantummodo, immo vno fere verbo, ea attigit.

VI.

Elogium Tiberii Hemsterhusii, auctore Dauide Ruhnkenio.

Lugduni Batauorum, ap. Luchtmanns. 1768. pagg. 60. 8.

Magna floruit nominis fama, magna discipulorum frequentia, dum vixit, *Tib. Hemsterhusius*, communis Belgii praeceptor, cuius e scholis prodierunt complures, non ignobile nomen consecuti. Nemo enim ignorat, quam praeclarum in illo viro fuerit ingenium, quot litterae, quanta rerum plurimarum cognitio, vno verbo, quam insignem inter Criticos praestantissimos locum ille tenuerit. Quare tam eximii Critici imaginem oculis hominum proponendam

esse

esse censuit Cl. *Ruhnkenius*, et, licet ex libris, quos ille edidit, a viris doctis facile doctrina Hemsterhusii perspici possit, fortius tamen animum mouet vehementiusque in vna quasi tabula depicta ingenii et eruditionis praeclara species. Dum igitur perfecti Critici formam in Hemsterhusio spectat, (nam Graecarum litterarum scientia illum omnes omnino, qui a renatis litteris excellenter in iis versati sint, ipsum etiam Isaacum Casaubonum, cui doctorum hominum consensus primas deferre solet, longo post se interuallo reliquisse arbitratur) dum ad hoc exemplar considerandum omne, qui aut ipsi ad Critici famam adspirent, aut de Critica recte iudicare velint, inuitat, omnia, quibus Critici omnibus numeris absoluti laus absoluitur, commemorat, eaque in Hemsterhusio fuisse ostendit, id est, ingenium acerrimum et eruditionem prope immensam. p. 31.

Porro, quam rationem interpretandis emendandisque antiquis auctoribus secutus idem fuerit, commemorat, quanto studio omnis liberalis doctrinae scientiam animo complexus sit, exponit, atque etiam, vt, qua ratione et via Hemsterhusius ad illam eruditonem, quam

 sum-

summam in eo fuisse ostendit, peruenerit, intelligatur, partem vitae Hemsterhusianae breuiter attingit, tandem qui mores fuerint illius, quae vita domestica, narrat. Atque habet haec narratio non pauca, quae animum lectoris iuvent atque delectent. Repetemus inde quaedam, quae et nobis memorabilia visa sunt, nec iniucunda fore aliis speramus.

p. 12. Quantum felicissimae mentis acie, quae quid verum sit, quid res postulet, non solum videt, sed quam celerrime etiam et facillime assequitur, valuerit Hemsterhusius, eius rei documentum dedit in Xenophonte Ephesio. Qui, cum nostra aetate negligenter et vitiose in Italia editus esset, inuitauit sua venustate Hemsterhusium, vt non solum, quae corrupta censeret, emendaret, sed plurium etiam verborum lacunas de coniectura suppleret. Postea quam vero Dorvillius eundem scriptorem iterum cum codice MS. comparauit, verissimum vatem Hemsterhusium fuisse apparuit. Nam vetus codex lectiones et lacunarum supplementa sic, vt ille divinando restituerat, plerisque in locis exhibuit.

Ha-

Habuit Hemsterhusius Io. Bernoullium, celeberrimum Mathematicum, praeceptorem. Hic, cum discipulum maxima celeritate altiorem Geometriam percepisse et in intimos Philosophiae recessus penetrasse videret, fassus est, se, quem cum eo compararet, inter discipulos habuisse neminem. Rarum vero exemplum Critici, iis quoque litteris dediti, quae vulgo contemnuntur. p. 16.

Suscepit Hemsterhusius iuuenis, Graeuii auctoritate commotus, Iulii Pollucis editionem, aut potius, abiectam a primo editore operis curam recepit. Ipse de hoc opere satis bene sentiebat, vt fit in iuuenili aetate. Breui post a Richardo Bentleio litteras accipit, quibus vir acutissimus operam Polluci nauatam egregie laudat. Eisdem vero litteris Bentleianae emendationes Comicorum, quorum locis Pollux vtitur; quibusque in corrigendis multum Hemsterhusius studii posuerat, additae erant. Quibus lectis intellexit Noster, inanem suam operam fuisse, diuinitus omnia Bentleium expediisse. Atque hac re sic conturbatus est, adeo sibi displicere coepit, vt Graecarum litterarum studium omne abiicere statueret. Nec per men- p. 19.

 sem

ſem vnum et item alterum auſus eſt ſcriptorem Graecum attingere. Atque hunc vnum Bentleium, poſteaquam ſecum in gratiam rediit, imitandum ſibi ſumſit, quem omnibus memoriae noſtrae Criticis anteponere ſolebat.

p. 22. In legendis antiquis ſcriptoribus hanc conſuetudinem tenuit Hemſterhuſius, vt a veterrimo quoque ſcriptore gradum faceret ad eum, qui proximus eſſet aetate. Atque hanc rationem, non ſolum ad diligentiorem verborum ſignificationumque obſeruationem, ſed etiam ad imitationem poſteriorum auctorum notandam, vtiliſſimam, aliis quoque etiam atque etiam commendauit.

p. 26. Aſtronomiae quoque operam dederat Hemſterhuſius, cuius ſcientiam poetarum veterum interpreti neceſſariam eſſe iudicabat. Philoſophiae vero ſtudium eo flagrantius in eo fuit, quo magis ab ipſa natura ad illam impellebatur. Nec ſatis habebat, veteres Philoſophos cognoſſe; recentiorum quoque ingenia cum iis comparauit. In Metaphyſica autem quae vera ſint et in quibus certo conſiſtere poſſis, apud veteres ſe reperiſſe omnia dicebat.

Poly-

Polybii tanta admiratione captus erat Heinsterhusius, vt, si fieri posset, vnum eius librum deperditum plaustris homiliarum SS. Patrum redimere vellet. Antiquae artis opera cupide et intelligenter spectauit, de pictura, statuaria, architectura eleganter iudicauit, immo auctor fuit discipulis suis, vt mature lineari picturae operam darent. p. 29.

Sagacioris indolis adolescentes mature Criticae veluti gustu quodam imbuebat Hemsterhusius. Quorum vires, vt erat acer et perspicax ingeniorum existimator, ante sic explorabat, primum, vt eos iuberet cogitate meditateque legere illustrem aliquem veteris scriptoris locum, et post, quid in tali loco maxime animum affecisset, quid maxime placuisset, sibi referre. Tum, vbi linguae scientiam et pulchri sensum ipsi probassent, in scriptore, ad talis aetatis captum accommodato, locum demonstrabat, qui vitium haberet, nemini animaduersum, idque inuestigare iubebat. Reperta corruptela, lene et blandum ab ingenio remedium postulabat. in quo vt eos, qui nullum Critices vsum haberent, sublevaret, ipse interdum vias quasdam, quae ferre ad verum inueniendum possent, p. 44.

 indi-

indicabat. Si rem seu tetigisset adolescens, ipse candide plaudere huic solertiae et acerrimum laudis stimulum adhibere, sin minus, suam emendationem promere, vt quaerendi et coniectandi finis esset.

p. 56. Animus fuit Hemsterhusio non solum aequus, placidus, liberalis, sed etiam vnius verae et solidae virtutis admirator, contemtor rerum fluxarum et humilium. Roboris vero quantum in eo fuerit, memorabili documento intelligitur. Venerant ad eum Franequeram nobilissimi e primaria gente Wassenaria hospites, biduum hilare sumturi. Cum omnes accubuissent, animis ad laetitiam remissis, ecce litteris fit certior, filium summae spei, Iacobum, qui sibi decus ex militia nauali petebat, procul a patria immatura morte periisse. Quid ille? vultu nihil mutato seponit litteras, simulat hilaritatem, acerbissimumque dolorem per biduum pectore premit, quod hospitum iucunditatem muliebri et nihil profutura eiulatione contaminari nolebat.

Sed quid multa e libello repetimus, quem totum legi cupimus a quamplurimis? Vtinam vero Hemsterhusianae ab ima-

imaginis contemplatione omnium animi igniculos concipiant dignos illius praestantia nostrisque litteris vtiles.

VII.

Melanges de Litterature, d'Histoire & de Philosophie. nouvelle Edition. Revue, corrigée, & augmentée très-considerablement par l'auteur. Tome cinquieme.

Amstelod. sumtu societatis 1768. pagg. 531. 8.

Relinquimus iis, qui mathematica tractant et physica, priorem et maximam huius libri partem diiudicandam; neque de iis, quae placitis suis philosophicis antea editis addidit clarissimus *Alembertius*, quidquam dicere hoc loco attinet. Detinuerunt nos vero, quae disputata sunt de arte poetica, Ode, Historia, et linguis mortuis, de iisque modo ad viros doctos referemus.

Prima harum commentationum eo tendit, vt noua, saltim apud Francogallos non obuia, arti poeticae decora addere quaerat, a poetis, qui huius no- p. 379. etc.

minis honorem ambiant, praeter versuum numerum bene cadentem et sonorum, sententiarum lumina, imaginum nobilitatem, phantasiae vim noua procreantem, ingenii fertilitatem, mentem diuiniorem exigat. Quas quidem componendorum carminum leges iustas, at dudum ab Horatio, Popio, Boilauio sanctas, hoc loco repetitas inique ferre possit, quicunque, quam parum soleant Francici poetae eas curare, quam frequentes in nugis canoris esse et *fabulis* sine pondere et arte, prorsus ignoret. Multa ingeniose dicta sunt ab auctore nostro, vt fallat lectorem, vel talium rerum bene gnarum, saepius orationis elegantia et festiuitas quaedam. Alia minus subtiliter disputata incurrunt vituperationem iustam. Omnino non adeo multa in illa scriptione legimus, quae nouitatis gratiam conciliare et laudem au-
p. 383. ctori possint. Recte monet doctissimus Alembertius, eum non valere poetae viribus, qui repetat modo, quae alii invenerint, qui, quasi ex ore aliquo, picturas alienas describat, non nouis vtatur, non suis, qui imitando gloriam quaerat. At vero num ideo culpandus ille est, qui Amorem talem, qualem finxe-

finxerit Anacreon, non nouo habitu ornatum, ostendat? Id quis demum dicat? Tamen ita sentit noster, qui, si quaereretur ex illo, quali noua figura indutum vellet Amorem, profecto haereret dubius, et inique latam legem cognosceret. Idem errat, cum dicit, Theocritum, Virgilium, Fontenellium omnes canendi de ruris et pastoritiae vitae amoenitatibus fontes exhausisse. Tantum enim abest vt hoc ex agro nihil amplius ferendum vati supersit, vt vltro largam inde segetem vel popularis noster, amabilis *Gesnerus*, meteret. Pari modo passim Clar. Alembertius mala bonis, veris falsa, acute dictis argutias intermiscuit. Ponit noster inter emolumenta linguae suae seueritatem regularum, cui adstricta poesis ipsa non late euagari, nec structuram quidem verborum immutare possit. Hoc vero quis quaeso non incommodum dixerit? Nonne in lingua graeca, romana, interdum teutonica, summa vis ex loco saepius oritur, quo positum sit hoc illud vocabulum? Longe plurima exempla Horatius suppeditat. Dudum enim est, quod viri docti huius poetae artificium cognouerunt summum, quo verba collocare p. 389.

ita

ita solet, vt imagines plus inde accipiant coloris atque vigoris, etiam interdum efficaciae. Optimum ingenium, orationis vinctae catenis constrictum, si idem linguae nouis vinculis et quasi compagibus coarctatum se senserit, altius surgere, sublimitatisque regiones capessere, nisi summo cum labore, non poterit, nec fessum praestabit, quod plane liberum ingenium praestabit. Certum est, quo minora, quo laxiora linguae in structura et verbis componendis vincula regularum reperiuntur, eo faciliori negotio summa quaeque liberalis et elati ingenii homo attinget. Laborat hac parte lingua francica vt cum maxime; id quod iam alii viri docti satis exposuerunt (*). Alio quodam loco Noster palmam tribuit poetae, qui sensus pingat, prae illo, qui visionibus concipiendis, quas φαντασίας graeci vocant, operam det. Neque tamen in eo genere constitui posse aliquid infinite videtur. Natura cuiusuis lectoris, ingenium, consuetudo, aliaeque rationes longe maximam de variis poeseos generibus iudicandi, eaque amplectendi discre-

p. 392.

(*) vid. v. c. *Briefe die neueste Litteratur betreffend.* P. XVII. p. 184.

crepantiam pariunt. Quis igitur adſentietur noſtro, vbi legerit; *poetam, qui imagines referat, lectores ſuos pueros ducere, qui ſenſus exprimat, viros eos exiſtimare?* Immo haec puerilia iudicia exiſtimanda. Ad finem denique huius exercitationis auctor noſter quaſi corollam Deae ſuae addit, dum inter epica carmina, quotquot exſtent, Voltarii de Henrico carmen vnum eſſe iudicat, quod ſine faſtidio continua lectione perluſtrari poſſit. p. 394.

Excipiunt haec de arte poetica in vniuerſum disputata obſeruationes quaedam ſuper Oda, non abhorrentes illae quidem ab ſalubritate iudicii, at trahentes nonnulla vitia ab ipſis auctoris opinionibus, ratione vera deſtitutis. Commendat Clar. Alembertius inprimis illud odarum genus, quod *philoſophicum* vocatur, virtutes illius exponit, oſtendit rationem. Omnino hic vero in ſententiam *Marmontelii* ire placet, qui, niſi omnibus numeris abſolutam, odam philoſophicam, omnium maxime odioſum carmen eſſe recte arbitratur (*). Fauentes vero legimus, quae diſſerit p. 400. etc. p. 403.

Noſter

(*) *Poetique françoiſe* Tom. II. p. 439.

Noſter de legibus poeſeos, quas augeri ſine neceſſitate vetat, et poetam tum optime munere ſuo functurum probe dicit, vbi immunis plane legum exemplaria optima ſequi ſtudet. Iure ſuo et laudabiliter auocat Noſter eum, qui Muſis ſe dederit, et bona carmina fingere cupiat; ab ſollicita et ſeruili legum cura, iubetque potius animum acriter in ipſos auctores bonos intendi. Maior vtilitas ad hominem ingenio valentem ex vna pagina Aeneidos perlecta, quam ex lato regularum corpore, redundabit. Inter alia ſat docte et ſubtiliter monita offendimus locum quendam, vbi paullum renidere volupe viſum eſt.
p. 405. Comparatur Horatius atque Pindarus: illum huic praeferendum ſtatuitur. Romanus perhibetur plures ſententias proferre, ſenſus venuſtiores exprimere, varietate et naturae imitatione ſuperare Graecum. Quis tandem dubitet, an legerit graeca Francicus? Quis, quaeſo, Francicum in hac cauſa optimum eſſe iudicem et grauiſſimum, et ſeueriſſimum, negabit? Loqui quidem ſe tantummodo de verſionibus horum poetarum ipſe fatetur. At quid refert? Francico homini hoc loco quis fidem habere ſcilicet

cet dubitabit! — Graecam linguam penitus id genus eruditorum nosse nemo ambigit. Non desunt testimonia. Ilicet.

Dissertatio de historia eiusque conscribendae arte, subiecta illi priori disputationi, multa habet, quae honorem cognitioni auctoris et vtilitatem literis pariant. Desiderauimus autem plura, quae in tali dissertatione omitti vix esse fas putauimus. Nihil auctor noster de vera ratione historiam componendi docuit, cuius primas leges Thucydides sanxit; et quod ad varia scribendi genera potissimum attinet, de quibus se velle exponere ipse Cl. Alemb. in titulo pollicitus fuerat; id praeteriit omne. Leuiter attingit Noster varios mores historicorum in libris fingendis, nec ignorat quidem eum, quem Montesquieus obseruavit, at palmam tribuere videtur iis historiis, vbi temporis ratione habita narrantur res ad modum Henautii. Quem quidem morem non improbamus, sed ab auctore doctiora, subtiliora expectabamus, non oratoriam supellectilem quandam. Primum celebrando studio historiae se tradit Noster, culpat, qui ei detraxit, Malebranchium, atque refutat, quem loquentem fingit, osorem huius

p.413. sq.

p.421. sq.

huius literarum generis. His infinite disputatis addit quaestionem, de optimo scribendi historias genere, vbi cuinis suas laudes tribuit, rationemque multis et elegantia ornatis verbis describit. Quod vero Cl. auctor veteres negat id historiae genus nouisse, quod inprimis versatur in caussis rerum indagandis ex-
p. 427. ponendisque, quibus illae procreatae fuerint, rationibus, vehementer errat. *Polybium*, *Tacitum*, quis ignorat philosophiam enarrandis euentis intulisse? enodasse rerum, quibus hae contineantur, causas? disputauisse de ingenio gentium, temporum, de omnibus adiunctis praesidiis, remediis, impedimentis rerum, quibus aut perfectae, aut interceptae fuerint? Fines transiisse et modum huius historiae generis nostros homines dicere potius debebant, atque animaduertere in eos, qui turgido quodam et elato scribendi genere vsi nobilem illam simplicitatem, virtutem historiae primam, veritatisque studium grauiter deturparunt. Ad finem disputationis nona quaedam ratio commendatur, quae incipiens ab nostra aetate
p. 429. redeat vsque ad antiquissimos aetatum fines, inuerso ordine. De illa vero ratione

ne non est quod dicamus, cum praeter nouitatis laudem nihil praecipui nobis habere videatur.

Apologiam studii literarum iis commendamus, qui Musas aut odio habent, aut inuidiam iis facere allaborant, inprimis Francicis hominibus, qui, male intelligentes Rousseauvium, nullum ex literis alium quaestum duci posse arbitrantur, nisi malum. Fingitur primum inuehens quidam in omnia disciplinarum genera, atque deinde refutatur commemorandis iis emolumentis, quae humano generi, et vnicuique, operam sedulam eis danti, afferunt quam plurima. p. 435. sqq.

Videtur doctissimus auctor, quantum tribuerit illa dissertatione literis, tantum detrahere ea exercitatione, quae illam excipit, vbi, de rythmo et numero linguarum disserens, propemodum vetat nostram aetatem latino sermone vti. Non necesse erat, vt illo munere fungeretur inter populares suos Alembertius. namque eo iam in Francogallia redactus est honor latinitatis, vt pene sit exstinctus. Fecerant enim id callidi superioris aetatis homines, *Perraultius*, *Chambrius*, *Charpenterius*, alii,

 vt

vt linguam latinam, quoad in illis situm erat, proscriberent plane finibus Francogalliae. Inde nata est miserrima sors apud eam gentem literarum bonarum earum, quae priscam redolent suauitatem, nec fere, qui latine scribere possit, reperitur. Quae praua eruditionis ratio ne nostram etiam terram inuadat, pronam vltro iam ad negligentem studii literarum leuitatem, omnibus, qui verum eruditionis honorem et solidam subtilitatem amant, cauendum esse arbitramur. Nunc ad ipsum auctorem redeamus.

Incipit statim ab initio dissertationis exponere siue risui, siue odio, eos, qui acclamare aliis soleant, *vtinam scires graece*, (*ah! si vous saviès le Grec!*) delabi putat Alembertius hanc vocem ex ore illorum, qui, multa graecae et latinae linguae nauata opera, multisque in eo genere studiorum consumtis annis, nolint fateri, inutilia se egisse. Quod effatum vt probet, eandem dicit cantilenam canere, quicunque teneant linguas, siue Arabicam, siue Hebraicam, siue Graecam et Latinam. Praeclaram, Mehercle, iudicandi artem! Ergo nulla plane disciplina eo crimine

vacat,

vacat. namque et Logices et Numerorum filii, et aliarum omnium artium suam quamque optimam rentur esse. Num inde, si abutitur quis laudibus doctrinae, nulla ea habenda est? Num quia tres aut quatuor in aliis rebus errarunt, certum est, quintum et ipsum in alia re errare? Sed ostendere studet Auctor, nos non satis instructos esse linguae Graecae atque Latinae cognitione, vt iudicium ferre de eis possimus. Nempe numerum, rythmum Graecorum, collocationis et structurae concentum amabilem, ignoramus. Hac cognitio- p. 461. nis parte vero cum careamus, certe minima caremus. Neque de latina lingua prorsus concedimus. Cognita enim de hac lingua, tenemus quaecunque ad numerum oratorium et carminum mensuram pertinent; quaecunque ad vsum huius sermonis scitu necessaria sunt. At ignoramus, quomodo dicere singulas literas antiqui latini solebant. Ignoremus licet. Iactura fit non adeo magna, p. 465. vt vsum Romani sermonis plane nobis eripiat. Denique, quod caput rei est, etiamsi, quae scribuntur a nobis nostra aetate, non adeo romana essent, vt Cicero, Liuius, Nepos ea probarent, quid

 inde?

inde? At probant, at legunt et intelligunt nostrae aetatis homines docti, et quae accedant ad antiquam latinitatem, perspiciunt? Vinculo praeterea illa lingua latina omnes gentes copulat iusto, et eruditionis documentum solidae merito habetur. Exemplo sunt ipsi Francici, cum lingua romana veram doctrinam solere simul exulare. Tandem vero apud viros doctos commendatione lingua, *docta* vere dicta, non eget; alios vero non curamus. Neque ideo refutabimus, quae auctor noster multis verbis celebrat de praestantia, qua lingua Francogallica superet Latinam. Succurrunt enim *Charpentierius Tallemantius*, *Marollius* nobis, et *Lucas*, *Diodati*, ceteri, qui seculo septimo decimo eandem litem egerunt.

p. 474. etc.

Caret etiam vero Cl. Alembertius ea doctrinae diligentia, atque copia, quae iudicem talem deceat. Quo quidem iudicio nihil detractum aliis optimi viri meritis volumus. hoc autem loco alienigena, non ciuitatis, iura tenet, et hospitem prodit vt olim mulierculae Demosthenes, cum versabatur Athenis. Laudat locum Ciceronis (Tuscul. 4, §. 8.) vbi explicat propriam vim quorundam

rundam latinorum vocabulorum; inde elucere putat, nos veras et varias easdem notiones verborum latinorum ignorare. Ah bone Deus! agit eo loco Ciceró philosophum, qui definire verba solet; quis autem ea significatione semper vtitur in vlla lingua, quam tribuit verbo suo metaphysicus? Quis vsum loquendi differre ab spinosa subtilitate nescit? Hic liceat auctori ipsi acclamare, quae aliis acclamari dolet; *vtinam scires latine!* (*ah! que Vous savièz le Latin!*)

Repetiimus, *vtinam scires latine!* p. 481.
vbi legimus locum, quo, nos comicam vim verborum et seueram ignorare perhibet, quo putat, non posse aliquem latine loqui nisi ita, quemadmodum loqueretur, qui scurrilia verba Molierii intexeret cuicunque sermoni. Vsque adeone nesciuit doctissimus auctor, quatenus prodire possit cognitio latinae linguae? Vsque adeone iustam saepius esse docuit querelam: *vtinam scires latine!*

Lepidissimum vero documentum intimae familiaritatis, quae intercederet ipsi cum Musis Latinis, edidit eo loco, vbi praedicat copiosissime et laudibus euehit ad coelum *Marinum* quendam, quem accessisse ad elegantiam Cicero-

 nis,

nis, quoad fieri possit (*autant qu'il est* p. 494. *possible*) censet. Et, ne quis temere ab eo iudicatum existimaret, addidit huic dissertationi locum ipsum Marini, quem Ciceronianam suauitatem spirare contendit. En tibi L. B. exemplum latinitatis Ciceronianae:

„Meditanti mihi *iustam* orationem „*apud vos*, plenamque grauitatis, Au„ditores, suspicio incidit, quae me „cum initio mouisset parum, *considi*„*ratius tamen existimata fecit*, vt omis„sis grauibus et seriis *maluerim* ad iu„cunda mentem *stylumque traducere!*„ Satis sit. *Vtinam scires latine* Clarissime Vir!

Addamus et documentum venae poeticae *Marinae*, quam aeque diuitem ac Horatianam arbitrabatur auctor noster.

„*Si recte possis, laudo, et non est melius quid.*
„*Verum age, dum calamos et scrinia versibus aptas*
„*Digna tuis, Flacci, bonus accipe, pauca loquamur*".

Nos vero nihil amplius loquamur; nisi *vtinam scires latine!* Vale *Marine*, et tu quoque vale, *Alemberti*.

C.

VIII

VIII.

LIBRORVM CENSVRAE MINORES.

I.

De *Notione Metaphysices antiqua:* disputatio M. Ioannis Tobiae Sattler. Lipsiae, ex officina Langenhemia, pagg. 32. 1769. 4. Copiae lectionis non exiguae studiique philosophiae seduli documentum dedit hoc libello Auctor. Primum de vitiis, in nimia laude et vituperatione huius disciplinae se exserentibus, monet. Post transit ad ipsam, quam posuerat, quaestionem, vbi, id quod miraberis, de origine Metaphysices disserens eos refutat, qui eam repetunt ab Adamo atque Noacho, aut Mosi illam artem tribuunt. Constituit ipse tres partes notionis Metaphysices, *veterem*, *mediam*, et *recentiorem*. Pythagoram, et Platonem ante Aristotelem notionem doctrinae illius iam tenuisse existimarunt nonnulli, quorum opinionem pluribus verbis examinat, et quae fuerit τῶν ὄντων γνῶσις explicare studet. Fuisse enim τὰ ὄντα ex mente Pythagorae *sola ae-*

terna, *eaque*, *quae sine materia sint*; probare conatur. In qua quidem causa accedere auctoris nostri sententiae nullo modo possumus. Non ignoramus quidem, vocabulum τῦ ὄντος tribui solitum fuisse Deo, latius autem vim verbi extendere certe dubitamus. Repugnat vberiori explicationi nostrae sententiae terminus nobis hoc loco fixus: Quare modo referamus, quibus rebus docendis auctor noster operam dederit suam. Si quaeritur, an Plato pater Metaphysices sit habendus, renuit noster, secutus *Ianum* atque *Bruckerum*, ante Aristotelem nomen Metaphysices auditum fuisse, nec ipsi huic Graeco originem verbi adscribit; disputans de iis quae huc pertinere aliis iam visa fuere; Postea agit de nominibus, quae sequentibus temporibus arti Metaphysicae addita sunt: *Ontologiae*, *Ontosophiae*, *Ürologiae*, *Gnostologiae*, *Metalogicae cet.* Inquirit deinde noster in illud, quod sibi Aristoteles proposuerit in Metaphysicis agendum, docetque fata atque fortunam scriptorum Aristotelis. Sub finem libelli nonnulla addita, quae silentio non praetereunda censuit auctor, *cur Diogenes Laertius non meminerit Metaphys.*

Aristotelis, de obscuritate huius Philosophi de nonnullis cautionibus in Metaphysica docenda, et ita porro.

C.

II. *Specimen animaduersionum criticarum in T. Liuii quatuor priores libros:* auctore M. Imman. Io. Gerhardo Schellero, Rector. Lycei Lubbent Lubbenae, 1769. pagg. 36. 4. Licet egregiam felicemque operam in Liuio emendando posuerint viri doctissimi, non pauca tamen in illo scriptore vitia remansisse Vir Cl. profitetur. Multa, quae illi egregie dixerint, non nisi in coniectura posita esse; interdum a vestigiis codicum iusto longius recedentes, multa plane eorum diligentiam effugisse. "Neque, ait, summis istis viris, quorum ingenium studiumque ab quoque litterarum harum amante maximi faciendum esse res ipsa docet, vitio vertendum est, si in Liuio emendando omnia exhaurire, h. e. humanitatem vincere, non potuere. Immo, quae fecere, ea grato animo sunt accipienda, et cuiusque est, iis insistere ac pro virili longius progredi, si forte, labore communi, consummatius quid effici

 pos-

possit". Ratio vero harum animaduersionum haec est; Emendationibus aliorum sub examen vocatis, vel iis assentitur Auctor, adiectis argumentis, quibus magis stabiliantur, vel contra eas vulgatam lectionem tuetur, vel, iis reiectis, alias coniecturas ponit, quibus interdum, tironum gratia, explicationes adiecit. Nobis quidem egregie Vir Cl. probauit et ingenii acumen et Latinarum litterarum scientiam, quam in eo esse non exiguam multis documentis ostendi potest. Quod vero stili Liuiani vbique rationem habuit, atque ex proprio huic scriptori dicendi genere de lectionum veritate iudicauit, id accuratam illius diligentiam reique Criticae peritiam ostendit.

III. Alberti Philippi Frickii — *Disquisitio de iureiurando per genium principis.* Helmstadii litteris Schnorrianis, 1768. plagg. 3. 4. Posteaquam suum cuique genium tribuisse ostendit Romanorum superstitionem Vir Cl. alium tamen, alio excellentiorem existimatum, principique multo potentiorem reliquis genium tributum fuisse docet. Hinc per genium principes iurauisse olim

Roma-

Romanos, oppressa libertate: dissentientibus viris doctis de origine huius cultus, Caesarem videri viuum inter reliquos honores, a senatu decretos, hunc quoque accepisse, nec tamen senatum prius id decreuisse, quam statuis eidem, tanquam deo, decretis: hoc iusiurandum in actibus publicis, inprimis vero in pactis, transactionibus, aliisque negotiis priuatis, quae de dando fiunt, interpositum fuisse: antiquitus Romae nullas de periurio leges latas, nullam periuris poenam irrogatam, peierantes vero per principum genium fustibus castigatos fuisse: quos fustium ictus a militari fustigatione diuersos esse: Christianos per genium principis iurare noluisse: iurasse eos per salutem principis, atque hunc morem vsque ad Caroli M. aetatem viguisse.

IV. *Thesaurus Epistolicus Gesnerianus. Vol. I.* Halae, ap. I. I. Curt. 1768. pagg. 184. 8. Quis non delectetur legendis epistolis cum a Gesnero, tum ad Gesnerum scriptis? aut quis multa sibi narrari cupiat de voluptate, e sermonibus virorum doctissimorum percipienda? Hanc qui nondum percepit animo,

non-

nondum degustauit; nae illum, vt alios libellos legat, hortantur. nec potest in hac parturientium parientiumque per Germaniam multitudine legendi materies cuiquam deesse. Iam huius voluminis plurima pars ad *Heumannum* spectat. Suauia sunt illius cum Gesnero de variis rebus colloquia: immo iucundus, quia nil eo humanius, qui inter vtrumque intercessit, de quibusdam dissensus. Ipse Gesnerus ad Heumannum
p. 141. scribit: „Ego amicitiae nostrae gratulor, quod, cum de quibusdam rebus non eadem nobis videantur, tamen et ego mihi conscius sum meae in te voluntatis atque obseruantiae, et tuis multis in me meritis atque humanissimis amoris significationibus non possum non credere. Atque tantum abest, vt ego credam iucundam esse posse litteratam amicitiam, si nullus de rebus non magni momenti dissensus inter amicos intercedat; vt illo ipso quasi condimento eam commendari arbitrer. Ego et Oederus meus in collegio viximus coniunctissime et paucissima erant, de quibus idem nobis videretur; itaque dimidiatos dies et bonam noctium partem in rixis amicissimis et tamen satis vehementibus contere-
bamus.

bamus. Et vnde nobis natae essent litterae frequentes, neque breuissimae, ὦ τιμιωτάτη κεφαλή, nisi subinde liticulas eruditas inter nos agitassemus"? Hinc subortae sunt de Ciceronis timido animo, de Criticis opinionibus, amicae concertationes. Reliquae litterae pertinent ad *Georg. Nicol. Koehlerum*, praeceptorem Gesneri, quem celebratum semper a pio discipulo laudatumque fuisse post mortem, norunt, qui *Opuscula* Gesneriana legerunt.

V. *Ver Dn. Christiani Edwaldi de Kleist, Latina eaque nonnihil liberiore paraphrasi renascens.* Hamburgi, 1766. p. 32. 4.

VI. *Aestas M. Iosephi Mürling, Hamburgensium delicias Suburbanas sistens.* Ibid. 1766. pagg. 32. 4.

VII. *Autumnus M. Iosephi Mürling, Hamburgensium munitam felicitatem pangens.* Ibid. 1767. pagg. 32. 4.

Durum profecto onus nobis impositum fuisse quereremur, si quis longiorem horum versuum censuram postularet a nobis. Cuius stomachus has epulas sustineat? cuius manus par sit tot canoris

noris nugis describendis? Pulcherrimae vrbis delicias et gaudia misere cecinit versificator, quem non Apollo, non Aoniae puellae ad cantus inuitauerunt. Ipse quidem sat insolitis precibus *lectores* appellat:

Si ratis est vates, velum meus, lector es aura,
Nauigat is frustra, qui caret huius ope,
Vt ferar optatas fato meliore per oras
Adspira votis, lector amice, meis.

quasi melius a naufragio sibi cauere potuerit, quam si nauiculam iis instruxisset, quae tutum per mare scopulis plenum iter praestant. Sed mittamus ineptias. Primum omnium cogitare debebat auctor, qui versus Latinos *scribere* velit, Latinae linguae peritum esse debere. Ipse igitur, hac cura dimissa, barbare scripsit, atque a castitate sermonis recessit longissime. Tum, si versus hos legas, non credes auctorem Virgilii Ouidiique suaues numeros vnquam cognouisse. Tam duros nobis obtulit versus! tam hispida omnia sunt et fragosa! Et ausus tamen est, suis numeris naturam prouocare. Quid iudicemus de istis?

Si

Sit satis, Autumnum volli cecinisse sinistri;
Iam dextrum, mea Musa, refer. Conscendo phaselum:
Tu symphoniacis plaude in mea cantica remis: (*)
Aurea priscae saecula Pyrrhae degere qui vult;
Has petat oras, bis natet vndis, hanc colat vrbem.
Hostica laetus taedia ponat: flebilis vrbe est,
Haec vbi regnant. Incluta, prudens, fortis et ampla
Vrbs, simul vrbis plaudite ciues, plaudite tuti!

De ingenio poetico ne dicam quidem aliquid. Dudum, qui Latine scribunt, hoc sibi dari a nobis volunt, vt illorum verbis nulla sit subiecta sententia, nos praeter verba nil postulemus, nil quaeramus aliud. Quare sequamur ingenium seculi, nec agamus cum nostro acerbe. Vtinam vero minus his arti-

(*) Quae sequuntur pauca carmina, caesuram, cuius nusquam non praesentissimam rationem habere conatus sum, praemeditata industria negligunt: natura remigationis sic postulante.

artibus studuisset auctor, magisque praecepta Grammaticorum de syllabis earumque quantitate obseruasset. Namque haec non raro neglexit. In veris descriptionibus ille certamen cum Kleistio iniuisse videtur, venustiusque suauissimo poeta naturam voluisse pingere. Quo hoc euentu conatus sit, non dicam ipse. Nam terret, quod *in Zoilum* affixit libello, elogium oculos animumque. Aestatem vero cantaturus nullum comitem sequitur, licet inuitus eo careat.

Vellent mea metra sonare
Pierios imitata tubas: a funere Kleisti
Ingenium, vires, animos atque aemula Pindo
Carmina si possem reuocare; ausura cupitum
Fors caperet robur tanto impar Musa labori,
Fors ego; sed praestat proprio spem vincere Marte.

Quare etiam desertus a viae duce, relictus a Musis, calore aestatis prope enecatus, pessima passus fuit bonus homo.

Aestuo; profusis languent sudoribus artus.
Vox rauca excandet; pectus, cor, mensque liquescunt.

Ferte,

[illegible], ut forte pedes [illegible] ad loca frigida vatem!
Eripite urenti vix nata haec carmina morti,
[illegible] Hamburgo! Satis itum! Laboro. Anhelo.

Quis anhelanti poetae ſuccurrat? quis erigat lapſum?

licet, ſuccurrite, longum
Clamet, Io ciues! non ſit qui tollere curet,
Nec ſemel hoc fecit, nec, ſi retractus erit iam,
Fiet homo et ponet famoſae mortis amorem. Hor.

Atque ecce! ad ſe redit, licet, vigilet an ſomniet, neſciat, vt decet tantum poetam.

Quas ſtupefactus in oras
Deuenio? forſan, quod erat mortale, beato
Depoſui fato? Vigilo vel ſomnio coelum
De quo tanta olim Latii cecinere poetae?

Similis ſibi eſt Noſter in Autumno, quodque aliquo loco dicit, ſat barbare locutus, huic carmini merito praefigi debet:

Vecors Scena apage. Senſus animumque replere
Obiecto meliore licet!

 Inte-

Interim, ne omnino Veneres carminis taceam, aliquot versus repetam. quos vero? quos? immo piget et taedet multos legere. Aduola, puer, atque hos qui primi omnium in oculos incurrunt, transscribe!

Iamque extrema suis me propugnacula rostris
Excipiunt, et mille mihi spectacula praebent.
Hic rubeus rutilis sociatur miles in armis,
Quae mira leuitate regit: nunc tollit in altum
Demta humeris; humeris iterum sublata reponit;
Max eadem adpulsat pedibus; tandemque reclinat
In muro sudibusue cauis, celerique vigore
Se gyrat in circum medium, plaudensque recedit.
Stant ibi caerulei pyrotechnae ad fulmina castri,
Hastatumque rotant gliscentis fomitis ignem:
Salue (*) salutanti naui flammare parati.

Parce,

(*) Salue verbum longam quidem habet vltimam; sed quum substantiui vices subit, corripiendam reor. Metri saltem lusus dubium omne arcuit.

Parce; salum, ad tempus tibi lumina nostra negari
Et versus quandoque salum confine, salous
Haud impar fluuius, vi magna extorsit vtrumque.
Occultas mihi pande vias, praesaga Poësis,
Celsus Aristoteles queis iussus adire profundum est,
Euripi fluxus dubios dubiosque refluxus
Certo explorari cupidus. Sed seruer in vrbe,
Quam mea Musa colit, quam porro pangere gestit.
Pro patria, fugitiue Thraso, dic dulce mori te;
Dulcius Hamburgo saluo, scio, viuere gratus
Hic animus poterit. Victura vrbs, viue poëtae!

VIII. *Clauis Poetarum Classicorum, Pars posterior, siue Index philologico-Criticus in Ouidium et Virgilium. auctore* Gottlob Benedicto Schirach. Halae, sumtu Orphanotrophei, 1709. pagg. 648. 8. Quam non solum vtilem iuuentuti, sed iucundam quoque viris doctis operam, immo quam sibi ipsi honorificam, susceperit Vir Cl. hac

 claue

claue adornata, diximus alio tempore. Neque mutamus sententiam, tot, quae huic parti insunt, bonis cognitis. Nam quomodo possemus? Eandem Latinarum litterarum scientiam, ingenii elegantiam, subtilitatem et sollertiam in iudicando, diligentiam etiam probauit nobis vir optimus. Has enim virtutes tum laudabamus et celebrabamus, delectati viri acumine et eruditione. Placet inprimis, quod in explicanda versuum elegantia ostendit, venustatis studium, quod ne cadit quidem in multos, naturae malignitate aduersante. Breuiter et acute insigniorum locorum pulchritudo indicatur, iuuentutisque animus ad eandem percipiendam inuitatur. Nec, quae displicent, silentio Auctor praeterit. De versibus illis Ouidii (*Pont. IV*, *12. 10.*) *Pudeat, si te qua syllaba*
p. 31. *parte moratur* etc. inquit "Totus lo-
„cus mihi displicet: moratur poeta in
„re puerili inepte, ni fallor, et per
„plures versus de syllabis queritur. Est
„iste locus vnus eorum complurium,
„qui in Trist. et Pont. libris adeo amari
„sunt, vt ipsa tempora poetae fuerunt".
Nec ego defensionem poetae suscipio. moneo tantum, similes de nominibus

syllabisque, versuum ingenio repugnantibus, querelas et lusus apud plures veteres poetas extare (*). Contra alio loco defendit principium Metamorphoseon contra inanes Scaligeri criminationes. Ridiculi profecto sunt, quos hic Ouidio obtrudere voluit, versus. Ingeniosissima vero videtur Schirachii opinio, Ouidium, ambigentem inter scribendum, vt fit, quid poneret, nec impetum animi retundere mora longiore volentem, plura simul verba dicendique plures formulas adscripsisse, eo consilio, vt postea, quid eligendum esset, consideraret, quae meliora viderentur, retineret, deleret reliqua. Cum vero non licuerit Ouidio opus Metam. morae et limae labore perficere, lectores modo hac modo illa lectione, ex ingenii quemque sui indole, vsos: hinc admirabilem illam lectionum varietatem, quae summa est in Ouidio, ortam, eamque non a librariis, sed ab ipso poeta profectam esse. (v. p. 256. 222. 43.) Quam coniecturam si luculentius confirmare, pluribusque exemplis illustrare velit, p. 123.

 rem

(*) v. c. Athenae. Dipnos. L. VII. p. 284. Horat. Sat. I, 5, 87. Martial. IX, 12. Rutil. Itiner. I, 419.

rem omnibus faciet gratiſſimam Vir Cl. cui vel hanc ſolam ob opinionem ingenii acuti laudem debemus, immo cui
p. 634. ipſe Ouidius non parum debet. De Aeneide Virgilii libere iudicat Vir Cl. atque etiam ipſe intelligit, quam periculoſum ſit, *Herderi* vbi iudices ſedent, libere de vitiis veterum auctorum loqui. Quare etiam inuidiam deprecatur omnemque malignitatem eorum, qui, cum ipſi vix decem Homeri verſus legerint, immo, niſi opem petant a *Schrevelio*, graecum verſum intelligere nequeant, tamen antiquos pleno ore laudant, et vel ſic eruditi videri cupiunt. Sed redeamus ad Schirachium noſtrum, quem veteres legiſſe conſtat. "Videtur, inquit, mihi Virgilius, quamuis excellens, et ſumma laude ornandus poeta in effingenda perſona Aeneae non ſatis et carmini ſuo et lectorum exſpectationi feciſſe". Primum igitur Aeneam, heroa *pium*, i. e. ſola pietate inſignem, minus putat efficacem, minus idoneum ad conſtituendam principem totius carminis perſonam: nimis carmen languidum et imbecillum his moribus, hoc animo, reddi. Tum Aeneam ipſum nil agere, omnia iuſſu diui-

diuino efficere, nec virtutem bellicam nec alias admirabiles nos cernere vllas: quaecunque fiant admiratione digna, deos habere auctores, qui Aenea, tanquam instrumento aliquo vtantur: porro illum non solum a diis trahi, vt neruis alienis mobile lignum, sed esse etiam Aeneam timidum, atque si Turnus cum illo comparetur, Turnum sibi plane arripere nostram συμπαθείαν. Hectoris quidem personam induere Turnum: nec tamen Aeneam personam Achillis, adeoque illam excitatam ab Homero συμπαθείαν hic desiderari. His aliisque disputatis haec est summa conclusionis. "Placet, mirifice placet Aeneis, parum „placet Aeneas. Admiror carmen, cu„ius laudem non imminutam plane hac „mea dubitatione velim, sed tamen „alium optarim Aeneam, alium Tur„num". Nos vero vehementer hortamur virum doctissimum, vt, quam promittere videtur, vberiorem sententiae suae explicationem edat. Quis curet eorum hominum clamores, quibus nil, nisi quod ipsi agant, dicant, scribant, probatur, quique nullis ipsi litteris conspicui impudenter virorum do-

ctorum famam lacerant: siue ii in taberna Nicolaitana Berolini nidulentur, siue quocunque in angulo pipiant?

IX. Wilelmi Goesii Vindiciae pro recepta de mutui alienatione sententia: accedit Specimen eiusdem controuersiae: editio noua, accurante Io. Friderico Eisenhart, ICto, Halae et Helmstadii, imp. Car. Herm. Hemmerde, 1768. 8.

X. Wilelmi Goesii Animaduersiones in quaedam capitis primi et secundi Speciminis Salmasiani, quibus varii viri docti ab eius calumniis vindicantur: editio noua, accurante Io. Frider. Eisenhart, ICto, Ibid. 1769. 8.

Magna superiore seculo *controuersia* agitata fuit de mutuo, excitata illa a Salmasio, in mutuo alienationem esse negante. Nam cum Salmasius vehementius hanc opinionem tueretur, nec abstineret a verborum contumeliis, animos concitauit plurium ICtorum, in quibus etiam nomen suum professus fuit *Goesius*, cuius libelli iterum prodeunt. De ipsa Salmasii sententia alii iudicent, immo iudicauerunt iam, illamque cum legibus Romanis tum rei naturae re-

pugnare

pugnare docuerunt, licet forte ostendi possit, ICtos illos non recte Salmasii opinionem intellexisse. Nec repugno Cl. *Eisenharto*, egregie de Goesii libellis existimanti. "Quae, inquit, Goesius noster tanto conatu ad detegendos Salmasii eiusque sectatorum errores disputauit, tam ingenium alacre, foecundum et excitatum, quam ratiocinationem accuratam, solidam, et monumentis antiquitatis veterumque testimoniis studiose collatis exacte conuenientem sapiunt. Verbosas ineptiarum conceptiones et litigiosam aduersariorum loquacitatem, quorum placita in sophisticam sapientiam abierunt, egregie detexit, ita, vt nemo ei laudes elegantioris doctrinae, multae lectionis, ingenii vegetioris, iudicii subtilis, dictionis antiquae et facundae, denegauerit." Facile hoc viro doctissimo largior nec inuideo has laudes Goesio. Ipsa vero ratio, qua egit cum Salmasio, minime placet, nec placere cuiquam potest. Vehementius scripserit Salmasius, non nego. Atrocius suam opinionem propugnauerit, dabo. Ideone vero Goesio conuiciis certandum fuit cum Salmasio? ideone

 tot

tot maledictis obruere licuit virum eruditum, et tum iam mortuum, cui insultare non modo inutile erat, sed etiam improbum prope. Quis non indignetur, Goesium eo progressum esse, vt Salmasium ob vxorem morosam et
p.121. contentiosam irrideret? quasi horum iocorum acerbitas aut nocere cuiquam possit, aut causae prosit. Integram servare debebat Goesius doctrinae laudem ab ista inhumanitatis et barbariei labecula, qua dum praeclarorum hominum famam scriptaque adspersa esse intelligimus, egregiorum ingeniorum imbecillitatem dolemus. Atque etiam forte magis consuleremus eum hominum doctorum famae tum litterarum honori, si eiusmodi libros, licet docte et eleganter scripti sint, obliuioni relinqueremus, quam si nouis editionibus eorum memoriam renouaremus. Certe nobis remittet gratiarum agendarum necessitatem, cui forte *Antiburmanni*, vt hoc exemplo vtar, quia de rixis et contentionibus loquor, nouam editionem adornare quocunque tempore in mentem veniat.

XI. *Des Herrn Grafen von Caylus Abhandlungen zur Geschichte und zur Kunst.*

Kunst. aus dem Französischen übersetzt. Volumina duo. Altenburgi, ex officina Richteria, 1769. 4. c. fig. aen.

Quae in Academiae Parisinae Actis exstant, *Caylusii*, viri summi, opuscula elegantissima, ea haec volumina complectuntur omnia. Nihil iis cogitari potest doctius, nihil exquisitius scribi, nihil, quod animum, antiquarum rerum artiumque studiosum, magis iuuet et erudiat, aptius legi, siue spectes subtile de artibus artificumque ingeniis iudicium, ipsorumque oculorum elegantiam, siue eam cum eruditionem, tum ingenii venustatem, sine qua nemo feliciter in hoc genere antiquitatis explicando versari potest. Quare commendamus eorum lectionem etiam atque etiam non solum iis, qui de antiquorum artibus operumque elegantia recte iudicare velint, sed iis quoque, qui, quanta ingenii et doctrinae praestantia in interprete rerum antiquarum inesse debeat, insigni exemplo intelligere et discere cupiant. Quid enim credamus dicturos esse viros doctos et a partium studiis alienos, si comparauerint illam, quae in Caylusiii libris eminet, artium operumque veterum scientiam, non haustam

haustam e Iunio aut Banierio, sed derivatam e fontibus limpidissimis, coniunctamque cum longo artis linearis vsu, cum tenuitate *Epistolarum Antiquariarum* similiumque libellorum, quorum auctores pauperculi nil prope habent, quo se ostentent, aut lectores nonnullos alliciant, praeter dicacitatem scurrilem et scenicam. sed istos homines mittamus, quoniam sibi ipsi placent, ideoque felices censendi sunt, quia amicos habent formidolosos illos *Sosias*, quos iudicandi de litteris virisque doctis partes sibi sumsisse rident Musae, et, nouos Marsyas conspicatus, Apollo indignatur. —

Primum volumen opuscula habet XVI. de templo Dianae Ephesiae: de loco Plinii, vbi de lapide Obsidiano loquitur: de ruinis vrbis Persepolis: de principibus, artibus deditis: de Graecorum erga artes amore insignique eorum cultu, qui illis excellerent: de gemmis scalptis: de locis Plinii quibusdam, vbi de pictura agitur: de Venere Apellis, quae Anadyomene appellabatur: de arte, marmori colores inserendi: de papyro: de vasis, quibus veteres vtebantur in conuiuiis: de statuaria statuariisque ve-

terum

terum, ad locorum Plinii aliquot illustrationem: de Theatro C. Scribonii Curionis: de architectura veterum, de conditura mortuorum apud Aegyptios:

Altero volumine libelli continentur XXI. de Mausoleo: illustratio aliquot capitum L. XXXV. Plinii: quomodo Plinius in picturae historia explicanda versatus sit? [hic libellus non Caylusium, sed Virum Cl. de la Nauze habet auctorem, ex iisdem Actis ob argumenti similitudinem huc translatus.] de operibus aeneis ad illustrandum L. XXXIV. Plinii: de tabula Cebetis, imaginibus Philostrati, et antro Corycio: veteres artifices iustam rerum omnium in pictura magnitudinem, distantiae locorum et spectantium oculis accommodatam, obseruasse: de cupreis antiquorum armis: de narrationibus magicis veterum et recentiorum: de clypeis Achillis, Aeneae, et Herculis: de tabulis duabus Polygnoti, quarum descriptio apud Pausaniam exstat: de antiquis historicis, inprimis Diodoro Siculo: de scientia veterum physica: de duobus monimentis antiquis in mediis saxis inuentis: de gemmis duabus ectypis: de pictura encaustica: de caelatura

vete-

veterum: de quibusdam antiquis monimentis in Asia conspicuis: de Hephaestionis rogo: de curru, quo Alexandri M. corpus elatum fuit: de aedificiis duobus, vno e lapide confectis, quorum Herodotus mentionem facit: de Aegyptiorum Porcellaneis. Quanta rerum varietas, quanta elegantis doctrinae copia his libellis inest! Quam subtiliter, acute et docte omnia explicantur! Sed aliorum, non nostri auctoris, opera laude egent; quando *Lessingios* de artibus antiquis scribendi libido inuasit, tum verborum praeconiis lectores alliciamus, necesse est: *Caylusium* nominasse sufficit.

CONSPECTVS LIBRORVM

QVORVM CENSVRAE

VOLVMINIS V. PARTE IV.

CONTINENTVR.

II. Io.

I. IN-

I.
INDEX LIBRORVM,
QVI
HOC VOLVMINE
RECENSENTVR.

II.
INDEX
RERVM MEMORABILIVM.

A.

B.

G.

H.

Home-

Poeta

COR-

CORRIGENDA
IN HOC VOLVMINE.

IN PARTE II.

p. 117. l. 7. l. *recte*. p. 118. l. penult. l. *quem* pro *quae*. p. 121. l. 20. l. *Amoris*. p. 124. l. 3. l. *additae*. p. 127. l. 27. l. *quem licet fateamur*. p. 130. l. 7. l. *nudum* pr. *pullum*. Ibid. l. *incessentem*. p. 132. l. 13. dele comma post *cuiusdam*. p. 140. l. 25. l. *corollaria*. l. 27. l. *verbis quibusdam et dicendi* etc. p. 142. l. 25. l. *recula augeatur*. l. vlt. l. *comissationibus*. p. 150. l. 6. l. *lasciuit*. l. 11. l. *meliorum*. p. 175. l. 23. l. *hanc*. p. 183. l. 12. l. *incendisse*. p. 189. l. 16. l. *scriptorum*. p. 191. l. 4. dele *Ad*. p. 192. l. 22. l. *multo*. l. 27. l. *illam*. p. 201. l. 14. l. *et* pro *at*. l. 18. l. *idoneis*. p. 203. l. 17. l. *versibus*. p. 204. l. 11. l. *indicari*. p. 205. l. 12. l. *omnium inscriptiones*. p. 207. l. 18. l. *abhorret a*. p. 218. l. 19. pone comma post *scribendi*, p. 234. l. 11. l. *libros manu scriptos*.

IN PARTE III.

p. 244. l. 17. l. *veram*. l. 26. l. *praeteriit*. p. 263. l. vlt. l. *memoriae*. p. 267. l. 4. pone comma post : *fateatur*. p. 276. l. 2. l. *Sylla*. p. 277. l. 5. l. ἰκέτῃσι. p. 281. l. 19. l. *vitri*. p. 282. l. 1. l. *Hoc*. l. 15. l. *tingi* pro *fingi*. p. 291. l. 8. l. *dicata*. p. 294. l. 21. l. *nigro*. p. 299. l. 26. dele puncta post *diuersi*. p. 311. l. penult. dele *et*. p. 315. l. 20. pone comma post *quae*, et l. 22. post *iactis*. p. 317. l. 21. l. *Musgrauius*. p. 324. l. 1. l. *Gorgiam*. p. 325. l. 8. l. *inde*. l. 13. l. *Wyttenbachii*. p. 328. l. 21. l. *proponit de Phars*. l. 22. l. *querimur*. p. 340. l. 20. l. *loco*. p. 348. l. 22. l. *abhorruit*. p. 353. l. 12. l. *cantilena illa*. p. 355. l. 8. l. *eliciendi*.

IN PARTE IV.

p. 372. l. 20. l. *insculpta*. p. 382. l. 19. l. *monendi iuuentutem*. p. 385. l. 8. l. *quum acute*. p. 419. l. 4. l. *oculos*. p. 450. l. vlt. l. *principis*.